


05

A

2461





Fragment of text from the book's spine, including some illegible characters and a yellowish paper texture.



ⲉⲛⲛⲁⲛⲁ
ΕΞΗΓΗΣΙΣ
ORACULI JOHANNÆI
ex Cap. III. v. 16.

SIC DEUS DILEXIT
MUNDUM.

Quam
Adversus Hæreticos tam Veteres quam
recentiores

*auxiliante Divini Numinis
gratia*

SUB PRÆSIDIO

*VIRI Maximè Reverendi, Ampliss. atq; Ex-
cellentiss.*

DN. ABRAHAM CALOVII, SS.

Theol. D. ejusdemq; in Illustri Academia Witteb.

P. P. Ecclesiæ Witteb. Pastoris, Consistorij Eccle-
siastici Adessoris, Circulique Electora-
lis Superintendentis Generalis

Dn. Præceptoris, Patroni ac Promotoris sui summâ
observantiâ colendi,

publico examini exponit.

M. JOHANNES CRON HAMB.

A. & R.

In Auditorio Majori d. Septemb. Anno 1655.

WITTEBERGÆ TYPIS JOHANNIS HAKEN A. 1655.

EENTHIZ

ORACULL JOHANNEL

ex Cap. H. 1. 1. 1.

SIC DEUS BILIXIT

MILIBUM

Adversus I. ...



05 A 246

II JANUARIUS ORON FLAIB



PRÆFATIO.

Gregorius M. scripta Prophetarum & Apostolorum commendaturus non minus verè quàm eleganter eadem cum fluvio quodam pleno & alto comparat, in quo & agnus ambulet & Elephas natet. Divinus sermo, inquit, sicut mysteriis prudentes exercet, sic plerumq; superficie simplices refovet. Habet in publico, unde parvulos nutrit, servat in secreto, undè mentes sublimium in admirationem suspendat. Quasi quidam quippè fluvius (ut ita dixerim) plenus & altus in quo & agnus ambulet & Elephas natet. *in præfat. moral. capit. 4.* Hoc, quod ille affirmavit de tota S. Sacra, id ipsum nos non tantùm approbare sed & cuius rectius pensitanti exhibere possumus unico Evangelio Johanneo. Licet namque omnia scripta Canonica ab efficiente supremo, materiâ sacrâ & formâ intrinsecâ divinam & authenticam majestatem atque infallibilem veritatem habeant, attamen juxta Basilii sententiam, *Homil. in Init. Evang. Job.* Evangeliorum vox, quod in illis ipsis Dominus nos alloquitur, & in Evangeliiis Johannæum & sermonis magnitudine & sententiarû gravitate; addimus nos & mysteriorum profunditate, quoad Deitatem salvatoris probandam, primas obtinet. Undè Clemens Alexand. apud Eusebium *lib. 6. Histor. Eccles. C. 13.* Spirituale Evangelium appellat; Cyrillus in prologo, præstantissimum & B. Lutherus pulchrum, verum & principale Evangelium vocare non erubescit. Absit tamen, absit ut exclusivè intelligas & vel cum Valentinianis apud *Iren. lib. 3. C. 11.* solum illud admittas, vel cum Fevardentio *ad Cap. 11. lib. 3. Iren.* calumnieris, Lutherum & alios reliqua tria contempnisse & nec verum nec pulchrum nec sanctum æstimasse; potest sinè contemptu aliorum alicui primatus deferri, nec cœtera carent sua dignitate. Calculum adjicit Augustin. *Tr. 3. in Job.* Cæteri, inquiens, Evangelistæ cum divino homine super terram ambulant, de Divinitate ejus pauca dixerunt: Johannem autem quasi piguerit super

terram ambulare, erexit se non solum super terram & omnem ambitum aeris coeli, sed super omnem etiam exercitum Angelorum & pervenit ad eum per quem facta sunt omnia, dicens: in principio erat verbum. Quantum igitur Evangelio Johann. tribuendum, cuilibet ex dictis facile dubio procul constabit. Non tamen extra limites vagamur cum Pontificiis & aliis nequa hominibus, qui sanctiss. hoc scripto ad superstitionem pessime abutuntur, statuentes, phylacteria illa appensa Dæmones dispellere, morbos curare, &c. Licet Conzenius palliare nitatur, dum, ut memoriale sine superstitione, quam ipse damnet, gestari, & absque verâ fide non prodesse, asserit; abusum & superstitionem ipse improbens & provocans ad suum Delirio & Thyraum. Verum n. verò, si non ex Gerhard. nostro *Harm. C. 158. p. 57. seqq.* voluissent, ex suo tamen Cornel. à Lapid. in *Exod. 13.* discere potuissent & debuissent illa תפלה & phylacteria ex malo intellectu verborum divinorum originem sumisse. Insuper non tantum abusus sed res ipsa ratione originis improbanda; tantoque magis quo sanctiora verba sunt, per lectionem vel prædicationem ad nostram salutem unicè à Deo destinata. Rectius itaque phylacteria hæc Evang. Joh. non fronti, non brachijs, utpote cum Pharisæis Pontificiis, sed pectori, sed cordi appendimus, inscribimus, ut hoc antidoto nos adversus venena Satanae tueamur & præmuniemus. Quæ admodum autem probatissimum, ita & commendatissimum nobis erit id, quod Apost. & Evang. exhibet Cap. 3. v. 16. quippe quum contineat capita Christianæ religionis plurima. Exhibet namq; articulum de Electione, de reprobatione, de justificatione, de S. S. Trinitate Patre, Filio & Sp. S. de Christi naturâ tam divinâ quam humanâ, de unione personali, de communicatione idiomatum, de libero arbitrio, de Verbo Dei, de Ecclesia, de inferno, de vita deniq; æterna. Ut non tam fluvijs, quam ingens mare dici possit in quo Orthodoxi credentes & natant & ambulare; heterodoxi contra quâ tales submergi conantur funditus. Res verò quò major, quo pretiosior est, eò plures quoque invitat & allicit spectatores; æstimatores, nec desunt eidem deirsores nec contemptores; Idem affirmare possumus de hoc nostro

nostro oraculo. accerunt hic & Orthodoxi & Heterodoxi, illi extollunt, hi rejiciunt; rejiciunt Pontificii in loco de justificatione, rejiciunt Calviniani in loco de Electione, rejiciunt Photiniani in loco de Christo, cum Photinianis Arminiani in loco de satisfactione, cum Calvinianis Weigeliani in loco de merito Christi; nec desunt hodierni Novatores quibus itidem ad palatum non esse videmus. Operæ igitur precium esse putavi, cum hoc dicto adversarij tam nequiter abutantur, præsentî hac Disput. coelestem veritatem asserere & à strophis nebulisque adversariorum hoc vindicari oraculum; ita quidem ut

1. brevissimam verborum analytin & explicationem.
2. textus à corruptelis adversariorum vindicationem.
3. Controversiarum præcipuarum enodationem.
4. denique, Usus practici delineationem sistamus.

Quod dum facimus, Te, Deus T. O. M. ardentissimis votis invocamus, ut nobis luce gratiæ tuæ viam monstrare velis, quo depulsis omnium errorum tenebris verum verbi tui sensum inquiramus, inquisitum perpendamus, perpensum ad nominis tui gloriam ac nostrorum omnium emolumentum transferamus. Amen!

TEXTVS.

ἔτιως ἠγάπησεν ὁ Θεὸς τὸν κόσμον, ὥστε τὸν υἱὸν αὐτοῦ τὸν μονογενῆ ἔδωκεν, ἵνα πᾶς, ὁ πιστεύων εἰς αὐτὸν μὴ ἀποληται, ἀλλ' ἔχη ζωὴν αἰώνιον.

Vulgat. Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.

Luther. Also hat Gott die Welt geliebet / das er seinen eingebornen Sohn gab / auff das alle die an Ihn glauben / nicht verlohren werden / sondern das ewige Leben haben.

A 3

MEM.

MEMBRUM I.

Continens

Brevissimam verborum analysin & explicationem.

§. 1. Priusquam ad ipsam analysin verborum accessum faciamus, notandum esse duximus, verba hujus Oraculi ipsius Salvatoris Christi, non Evangelistæ verba esse; ansam nobis præbet Erasmus, cui placet Evangelistam hîc de Christo loqui, non verò Christum de semet ipso. Idque hac de causa, quia textus in tertia persona de Christo loquitur. Nos contrarium cum Chemnitio & aliis defendimus, tum quia contextus optimè fluit & plus auctoritatis habet, si accipiatur esse continuatio concionis Christi, tum quia particula γὰρ in textu Evangelico ostendit per ætiologiam captum à Christo sermonem continuari. Infirmum a. Erasmi argum. est, quum Christus de se ipso in tertia persona loqui solet cum aliis, tum in hac concione: Nemo, nisi Filius hominis, inquit de se ipso v. 13. itemque, oportet Filium hominis exaltari, v. 14. eodem modo etiam sermonem continuat de seipso. v. 16. Sic Deus dilexit mundum. Græcus textus habet: ἔτως ἠγάπησεν, ex quibus ἔτως adverb. similit. , non in comparatione solùm sed & aliis modis usurpatur (1) denotat: *formale verborum Scripturæ*, ut Matth. 2. 5. ἔτως sic enim scriptum est per prophetam. Sic 1. Cor. 15. 45 Luc. 24. 46. &c. (2) pro *conjunctione conclusiva* ponitur, ut Apoc. 3. 16. ἔτως itaque, quia tepidus es & nec frigidus nec calidus, evomam te ex ore meo. (3) notanda & illa *significatio que Joban. 4.* occurrit, ubi de Christo dicitur: Erat autem ibi fons Jacob, Jesus ergò fatigatus ex itinere, ἐκασθίζετο ἔτως ἐπὶ τῷ πηγῆ, sedit ita ad fontem, i. e. ut Chrysostomus (referente D. Chemnit. Cap. 31. Harm.) interpretatur, sedebat simpliciter s. neglectim, prout locus ille admittebat. *Erasmus in paraphrasi*, sedebat illic ut se dabat locus, fonti imminens, ac veluti ex aura fontis refocillationem captans. (4) qualitatem rei exprimit. Matth. 1. 18. Jesu Christia. *nativitas ἔτως ἦν* sic erat, h. e. hac ratione se habebat.

bat. Sic cap. 3. 15. c. 5. 19. 47. & aliàs sepiſſimè. Huc pertinet
quod rei magnitudinem & præſtantiam ἐμφατικῶς exprimit
idem notans ac tantopere. utpote h. l. ἔγωγε sic Deus dilexit mū-
dum, h. e. tantus est, & tam ardens ac immensus Dei amor. Sic
Joh. 7. 46. Nunquam ἔτως sic locutus est homo. q. d. tam mirè
suavia & penetrantia verba nemo locutus haectenus fuit. vid.
Glass. Phil. Sac. lib. 3. Tract. 5. Can. 29. p. m. 745.

§. 2. ἡγάπησεν ὁ θεός. Videtur Paſori componi ex ἀγαπᾶμαι, valde acquiesco, quæ n. diligimus in iis acquiescimus
Secundum Favorinum verò ἀγαπᾶν est ἀγαπᾶν σελε κατὰ τὸ
πάν, toto animo omnique modo in rem dilectam ferri, aliàs
vocatur οἰκτιρισμὸν s. misericordia DEI Luc. 6. 36. Hebræus ple-
rumque hoc exprimit per רבך quod intentissimum amorem
denotat, utpote videre est ex Targum, quod infinitivum He-
bræorum רבך in diligere me. Job. 31. 33. explicat per רבך
in sinu meo; quia tanto amore DEUS homines prosequitur, ut
in sinu eos quasi foveat. Hinc consentit germ. nostrum lieben/
quod Originem trahit ex Heb. רבך Cor, amor enim debet esse
sincerissimus non hypocriticus, flagrans & ardentissimus, in
corde non lingua natus. Similis amor in DEO reperitur, qui ex
perspicuis Sacrae dictis patescit. Sic enim inquit, Jerem. 31. 20
Nonne Ephraim est mihi filius charissimus, nonne in hoc filio
sunt deliciae meae, quia ex quo locutus sum de eo, adhuc recor-
dabor ejus, idcirco conturbata sunt viscera mea super eum, וי
עמו מן מן miserans miserebos ejus. Eundem amorem detegit
Hos. 11. 8. 9. Conversum est in me cor meum, simul exarserunt
in me miserationes meae, נכמרו ניהומי & hac est dilectio illa
generalis quæ dicitur ἀγάπη.

§. 3. Datur etiam specialis quædam quæ à Paulo vocatur
χαρίς, Diversos hos dilectionis gradus Paulus agnoscit in Epist. ad
Rom. c. 5. 10. Si enim cum inimici, inquit, essemus, reconcili-
ati sumus DEO per mortem filii ejus; multo magis reconciliati
salvi erimus in vita ipsius. quasi diceret: si DEUS dilexit nos, ante-
quam per Christum fide apprehensum cum ipso reconciliare-
mur,

mur, multò magis nos nunc diliget, postquam per fidem in Christum ipsi reconciliati sumus. De generali itaque dilectione h. l. loquitur, de speciali Paulus inquit, Ephel. 1. 6. quia fideles tam & electos sibi fecit in filio gratos & acceptos. Vid, *Balduin. Comm. Sup. Epist. Rom. c. 5. p. 349.*

§. 4. Τὸν κόσμον. Vocab. mundi variè accipitur. (1) pro Systemate celi & terræ. (2) pro mundana conditione & conversatione, ut 1. Cor. 7. 33. (3) pro terra quæ pars mundi est 2. Pet. 3. 6. ubi simul meton. subjecti est; intelligitur enim tum aspectabilis iste terræ decor, tum & potissimum quæcunque animantia in terra. vid. Joh. 12. 19. Rom. 1. 8. 1. Joh. 5. 19. (4) pro parte mundi primaria & à Deo singulariter in peculium populi sui selecta, terra nimirum Canaan, Rom. 4. 13. quo cum conferri potest quod Num. 23. 13. in Chald. paraphrasi, populus Israeliticus dicitur ארץ ישראל hereditare mundum. ubi Hieronym. notat: Idioma est S. Scripturæ, ut omnem terram illius provincie de qua sermo est: quod quidam non intelligentes, ad omnium terrarum subversionem trahunt. vid. *Glaß. Rhet. S. Tract. 1. C. 16. p. m. 1377.* [4] mundus sumitur pro re plena, Jac. 3. 6. lingua ignis est, mundus iniquitatis, h. e. res plenissima malorum sicut mundus plurimis rebus repletus est. [6] sumitur pro incolis mundi s. hominum genere, ut h. l. v. 16. vid. & Joh. 12. 19. 2. Cor. 5. 19. 1. Joh. 2. 2. C. 5. 19. & pro impiis, qui maximam hominum in mundo viventium partem constituunt, ut Joh. 1. 10. C. 7. 7. C. 14. 17. C. 15. 19. C. 16. 20. 33. C. 17. 9. 14. 1. Cor. 11. 32. 1. Joh. 3. 1. C. 4. 5. C. 5. 4. & 5. quo pertinent, cum Diabolus dicitur princeps mundi. Joh. 12. 31. c. 14. 30. c. 16. 11. κόσμον ἀρχόντες mundi principes. Eph. 2. 2. Deus seculi hujus. 2. Cor. 4. 4. Explicatio habetur Eph. 2. 2. vid. *Glaß. Rhet. S. Tract. 1. c. 3. p. m. 1072.* Hinc rectè B. Meisner. inquit, duas esse primarias significationes vocabuli mundi, una quando pro impiis & infidelibus sumitur, ut Joh. 17. 9. non oro pro mundo; altera quando pro omnibus hominibus fidelibus & infidelibus accipitur. Vid. *Anthrop. S. Dec. 2. Disp. 12. p. 67. Dorsch. in pentadec. Dissert. Theol. dissert. 11. Lyser. Disp. Exeget. 3. in Johan. S. 38. Flac. Illyric. in clav. S. p. 692.* quid autem de ea sententia statuendum sit, quod mundi

voca

vocabulum de solis Electis etiam usurpetur, & despiciemus in-
fra memb. 2. Controvers. 3.

§. 5. $\omega\varsigma\epsilon$ ut, arab. יחיד cuius partic. usus varius est, interdum
exprimit Græcorum $\delta\tau\iota$, ut Joh. 2. 18. & c. 7. 35. Interdum $\epsilon\omega\sigma$ &
Cap. 13. 38. interdum $\omega\varsigma\epsilon$, ut h. l. interdum יחיד , Cap. 6. 28. c. 9
2. c. 13. 19.

§. 6. Τὸν υἱόν . Filius hic est naturalis summi Dei Patris fili-
us, quem veram essentiali licet non physica sed superphysica ge-
neratione, ab æterno est substantia sua æterna, modo incompre-
hensibili genuit. Pl. 2. 7. Heb. 1. 5. propterea dicitur υἱός αὐτοῦ
 $\muονογενής$.

§. 7. Μονογενῆ propriè sonat unigenitum vel soligenitum
Rom. Unicum, quod propriè sonat arabicum يحيى quomodo
verò differant unigenitus ab unico & primogenito, explicat
Drusus lib. 4. *prat. in C. 1. Job.* his verbis: Unigenitus est, teste
Hieronymo C. 5. *ad Helvid.* quem Pater unicum genuit. Unicus,
qui Patri solus superest liberorum, licet plures habuerit. Rur-
sum, omnis Unigenitus est & primogenitus sed non omnis pri-
mogenitus est unigenitus. *ibid.* Hieron. Ne fortè partu nõ sequen-
te unigenitus sit & non primogenitus. nam primogenitus dici-
tur, si vè partus sequatur, si vè non; quisquis enim vulvam aperit
 πρωτότοκος audit. Unicus id est יחיד quandoque pro dilecto
ponitur, i. e. ἀγαπητός aut ἠγαπημένω , qui Patri charus & a-
matus præ cæteris. Hoc significato Salomo dixit, unicus eram
matri meæ. Hec ille. Vid. *Comm. Tarnov. in Evang. Job. C. 1. v. 18.*
p. 153. G. in Cap. 3 v. 16. p. 242. Daniel. Heins. in Aristarch. Sac.
p. 132. seqq. ubi de ea ex Scriptura, Patribus & Symbolis differit
& unigenitum & unicum pro eodem sum docet. *Pl. Rev.*
Dn. D. Muller. in Iudæism. suo. Cap. 26. posit. 3 ubi Cont. R. Lus-
itan. disputat de vocibus *Erstgeborenen* und *Eingeborenen* &
quomodo differant solidè S. Sacrae dictis & exemplis demonstrat.

§. 8. ἔδωκεν tradidit, daret Arab. ἔδωκε quod Rom. vertit,
dono dederit. ἔδωκε propriè est commutare, pro quo vitiosè est
in Rom. edit. ἔδωκε punctum super impositum mediæ rad. quæ-
admodum observat Tarnovius in *Comm. suo sup Job. in b. l. Me-*
taphoricè, tradere se, aut alium, exponere, violare, pro fanare, ex

B

empla

empla occurrunt in h. Evang. Cap. 10. 11. 17. C. 11. 51. C. 13. 37. Gal. 1. 4. ubi. quod græcus fons proponit per *τιθένας Φυχὴν αὐτῆς, ἀποθνήσκειν ὑπέρτιν* & *δῶνας ἑαυτὸν ὑπὲρ ἄλλων*, illud in rivo arabico hoc verbo exponitur. Rectè a. Arab. vertit per dono dederit, quia non nostris meritis tanta beneficia tam dilectionis DEI, quàm satisfactionis Christi obtinuimus, sed dono & gratis, gratis enim salvati estis per fidem, idque non ex vobis *θεῶν τὸ δῶρον*, Dei donum est, inquit Paulus Ephes. 2. Habet alias verbum dare varios idiorismos in h. lingua, tùm per se tam ratione adjunctarum vocum, ut videre est apud Flac. Illyric. in *Clav. S. Sacre* p. 196. seqq.

§ 9. *ἵνα πᾶς ὁ πιστεύων εἰς αὐτὸν*, ut omnis credens in eum auff das alle die an Jhn gläuben Luth. *πᾶς* h. l. est terminus syncategorematicus universalis. cont. Calvin. qui statuunt esse synechd. generis in h. l. ita ut accipiatur pro quibuslibet speciebus ex omni genere, attamen contra manifesta Scripturæ loca parallela ut Esa, 53. 9. Omnes erravimus sicut oves. Joh. 1. 9. Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem. Rom. 5. 18. 19. 2. Cor. 5. 14. 15. & alibi passim. Non tamen negamus quod universalis affirmativa quandoque intelligenda sit non de omnibus individuis, sed de quibuslibet speciebus, quod aliqui sic efferunt: Vocula Omnis quandoque accipitur non de singulis generum sed de generibus singulorum, Exempla obvia sunt, Gen. 2. 16. dicitur: ex omni arbore horti comedes, i. e. ex omnis generis arborum fructu. sic Joel, 2. 28. effundam Spiritum meum super omnem carnem, i. e. omnis generis homines ex omni populo. Veruntamen quod hæc significatio etiam sit h. l. hoc est quod negamus, & quod nunquam firmis S. Sacre dictis probare possunt adversarii.

§ 10. Addendum & hoc, quod Universalis, affirmativa omnis de majori parte sæpius dicatur, ita ut omnes sint pro plerisque f. multis. Quidam sic enunciant: Universalis affirmativa locutio crebrò accipitur non simpliciter pro singulis rebus termini universaliter indicati, sed ad speciem, cui propriè com-

petit

petit est restringenda. Ubi tamen rectè quidem Glasius mon-
net: restrictionem Universalis particula non pro arbitrio, sed
ex accurata textus consideratione constituendam esse e. g. Et
mortuum est omne pecus Ægypti. Exod. 9. 6. Omne scil. quod
in agro erat, ut dicitur v. 3. atqui ita permulta animalia fuere
occisa non tamen penitus omnia, pars enim in aliud iudicium
Dei super Ægyptios fuit reservata, de quo v. 19. C. 14. 26. 28. sic
Math. 2. dicitur: Tunc egrediebatur ad illum Hierosolyma, &
omnis Judæa, omnisque regio undique finitima Jordani, h. e.
multi eorum locorum homines. vid. *Glass. Rhet. S. Tract. i. C.*
13. p. m. 1360.

§ II. ὁ πιστεύων εἰς αὐτόν. Usitata aliàs est distinctio istarum
phrasium, Credere DEum. Credere in DEum,
quam videre licet apud Lombard, *lib. 3. sentent. Dist. 23.* funda-
mentum hujus distinctionis videtur esse noster Evangelista, &
quidem Cap. 14. v. 10. seqq. ubi Christus dicit ad Philippum:
non crede quia ego in Patre & Pater in me est, hoc est, credere
Christum, ea quæ de Christo dicuntur & v. 11 non creditis mi-
hi, quia ego in Patre & Pater in me est, h. e. credere Christo, s.
verbis eis fidem habere, vera esse quæ loquitur; & v. 12. amen,
amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio & ipse
faciet. Prior signif. respicit τὸ ἔσθαι rei, posterior dicta &
facta DEI, ea vera esse & hi duo gradus fidei etiam creatu-
ris competunt. sed credere in Deum est fiducia in Deum collo-
care, & hic est summus gradus fidei, qui in Deum solum fertur
& priores duos simul includit, utpote pluribus hoc deducit Bal-
duin. in *Comm. in Epist. ad Rom. Cap. 3. q. 2. p. 281.* vid. *S. Hune-*
nius in comm. sup. b. l.

§ 14. Notandum tamen quod phrasia hæc in aliquem s. in
DEum credere, quando de Sanctis dicitur s. creaturis tribuitur
non significet fiduciam sed coincidat cum altera, ut videre est ex
Exod. 14. 31. timuit populus Dominum & crediderunt in Do-
minum & in Mosen servum ejus, ut habet Heb. בְּיָהוָה וּבְמֹשֶׁה
& Cap. 19. 9. audiat populus & in te credat בְּךָ יִאֱמִינוּ & Ps. 106.
crediderunt in verbum ejus, בְּךָ בְּרִי, &c. in quibus locis He-
braismus deprehenditur, nam præpositio כ non semper idem
est

est ac IN h. e non notat semper effectum fiducia in aliquem, sed
tum demum, quando objectum fiducia est habile, talis autem est
solus Deus, hinc rectè vertitur; crediderunt Moysi, it. populus
tibi credat. &c. Vid. Bald. l. c.

§. 13. μή ἀπόληται ἀλλ' ἔχη ζωὴν αἰώνιον ne pereat sed
habeat vitam æternam. Syr. sed sit ei vita quæ est in æternum.
Vbi notandus est pleonasmus ejusdem repetitionis quoad sen-
sum. Emphatica enim est affirmationis positio, ut intelligatur
non solum ἐρήσιν κακῶν, sed etiam θέσιν ἀναθῶν ex Christo
ad credentes ὑπερ ἐκπερισσῆ pervenire. Sic Joh. 5. 24. Act. 18. 9.
Rom. 4. 20. 1. Cor. 1. 10. Gal. 5. 1. 1. Job. 15. C. 2. 4. &c. vid. Glass.
Rhet. S. lib. 4. Tract. 2. p. m. 909.

§. 14. Intelligitur autè hic perditio talis quæ fit in inferno, ut-
pote ex Syro interprete videre est, addit enim Syrus vocem
ܕܢ quæ h. m. adhibetur proverb. 15. 11. C. 17. 20, sicut diabolus
ex eadem dicitur ܕܢ Apoc. 9. 11. hinc græcis etiam dicunt
mors æterna ἀπολεία. Math. 7. 13. Marc. 1. 34. Joh. 17. 11. Act. 8.
20. Rom. 9. 22. Phil. 1. 28.

§. 15. ἔχη Arab. ܕܢ Rom, habeat: quod ex vulgata versi-
one sumptum est. Esse autem alicui pro habere etiam in aliis
linguis obvium est. v. 15. præced. Arab. per ܕܢ exprimit, cu-
jus significatio & generalis & specialis est, illa verbis consequen-
di, inveniendi, hæc, verbis sumendi, accipiendi, attingendi ex-
primitur, & non solum consecutionem denotat, sed etiam mo-
dum instrumentalem connotat. Rom. ibid. vertit, consequatur,
nos accipiat, quia nemo vitam æternam consequitur nisi fide
eam accipiat. vid. Tarnov. Super b. l. p. 242.

MEMBRUM SECUNDUM
Continens
Textus à corruptelis adversariorum vindica-
tionem.

I.HU-

I.
HUBERI.

*An ex his verbis: Sic Deus dilexit mundum,
possit concludi, Omnes homines esse electos?*

§ 1. Certamen hoc Samuel Huberus Helvetius, sed infelicitate movit, qui omnes homines, pro quibus Christus est mortuus, sive credant sive non credant, & vel salventur vel damnentur in Christo ad salutem electos, prædestinatos & ordinatos scribit, vid. lib. cui fecit tit. Beständige entdēckung des Calvinischen Geistes. p. 162. & Scriptum, cui titulus est. Rettung meiner alzeit beständigē bekāntnūß &c. p. 5. argum. utitur variis partim ex Scriptura, partim ex analogia fidei petitis. Ex analogia fidei inter alia desumit argm. ex h. dicto & quidē 1. à generalitate dilectionis. Deo, dicit, omnes dilexit. E. etiā omnes elegit. ad quod Resp. est in §. 3. resol. analyt. ubi dist. inter dilectionem generalem & specialem, hæc, non illa tam late patet quam electio. h. 1. agitur de generali; Ephes. 1. verò de speciali dilectione, quæ est dilectorum in dilecto.

§ 2. Regerit Huberus totum mundum non potuisse à Deo diligi, nisi totus mundus ad hanc dilectionem esset electus. Ideoque electio *τὰξεί* præcedit dilectionem Dei. Cui hoc R. quod cōfundatur ordo cōsilio divini. Nā dilectio nō est effectus electionis sed potius causa, ideoq; *τὰξεί* prior est hinc scriptura dicit, nos cū inimici essemus, fuisse dilectos & recōciliatos Rom. 5. 10. deindè abutitur Huberus termino Electionis. Hæc n. nunquā facta dicitur ad amorem Dei sed ex amore ad salutem. Et si ita velim⁹ procedere, tot certè fingerentur prædestinationes quot sunt Dei beneficia.

§ 3. Secundum argm. desumit à missione filii in carnem. Electio inquit est causa missionis filii. E. quibus filius est missus ij sunt electi atq; omnibus est missus, ut patet ex dicto, ubi mundus pro omnibus hominibus sumitur, cui datus est filius. E. Resp. quod antecedens non simpliciter concedendum, sic enim inverteretur ordo in gradibus divinorum consiliorum nam de-

cretū Electionis τὰξὺς posterius est decreto missionis, ideòq; illud nequit esse causa hujus cū omnis causa sit sēper prior nō posterior suo effectu. Deo n. primū miserā generis humani motus cogitavit de redimēdis hominib; decrevit dare media, mittere filium dare verbū excitare fidem in omnibus non ponentibus obicem, quia verò previdit, non omnes obstacula remotures, ideò eos duntaxat actu elegit & ad vitam aeternam ordinavit, qui perseveranter erant credituri. Interim si vocabulum causæ sumatur generaliter pro quovis antecedente, & missio filii consideretur in executione, non in decreto, tunc sanè electio missionis causa quodammodò dici potest illa enim præcessit ab æterno, hæc secuta est in tempore. Sed tū negamus argm. Consequentiam, tū quia præsupponitur falsa hypothesis nimirū omnes esse prædestinatos, ideoque Christum missum ut illum apprehendant; tū quia nexus infirmus est si electio præcedit & missio sequitur, omnes erunt electi, quibus missus est filius. Contrariatur huic Scriptura S. multi sunt vocati, pauci verò eiectioni. Math. 20. 16. C. 22. 14.

§. 4. Prætermisissis aliis argm. quæ adducit Huberus, utpote ab universalitate vocationis, promissionis &c. Videbimus h. l. saltem unicum dictum quo sententiam suam ex script. stabiliri conatur. Præprimis autem adducit ex Eph. 1. Cap. v. 4. Elegit nos in Christo antè jacta mundi fundamenta, ut essemus sancti & irreprehensibiles. Quos igitur (1) Christus redemit, illi sunt electi, quoniā in Christo facta est electio atq; omnes redemit, Omnes igitur electi sūt. (2) quos voluit esse sanctos & irreprehensibiles illos quoque elegit atq; omnes vult esse sanctos. E. Sed B. ad 1. majorem falsam esse, quia Christus ingreditur arcanum electionis decretum, non tantum ratione meriti sed & applicationis. Electi enim sumus in Christo sed fide apprehenso. Hinc optimè B. Meisner. tacitam involvit instantiam *Anthrop. S. Decad. 2. Diss. 17.* quod simpliciter possit concludi Universalis justificatio & salvatio; quia in Christo justificamur & salvamur. Verba verò allegati textus non indifferenter omnes homines sed duntaxat perseveranter credentes attinet, ut ex v. 1. 3. 20 13. & 15. videre est. ad 2. B. quod argm. laboret τῶν λεονήτων terminorum

morum, major enim ex textu probari nequit, nisi velimus simul justificationem Universalem statuere, quia & illa fit eam in finem ut simus sancti & irreprehensibiles.

§. 5. Remanet igitur quod non omnes sed pauci sint electi, quia sententia & opinio partis adversæ est (1) ἀγαπᾶς (2) ἀγαπᾷ ut patet ex l. c. supra Math. 20. 16. C. 22. 14. proinde nec ex textu nostro id ipsum probari potest. vid. D. Chr. Mattheia. Syst. Theol. Loc. de prædest. p. 171. 172.

II. PHOTINIANORUM.

I.

*An dogma de Christi satisfactione apertè adversetur
huic nostro dicto Iohannæo?*

§. 1. Ita volunt Photiniani, qui duplici ratione nos adortiuntur. dicunt, si dogma de satisfactione concedendum sit, sequi, Deum nos antè mortem aut non dilexisse, quod est contra nostrum textum; aut fuisse maxime injustum, quod est blasphemum. Prius h. m. probare conantur, quia antè mortem pro peccatis nondum satisfactum, hinc iratum adhuc fuisse Deum, jam verò iratum & placatum s. iram & amorem simul in Deo concedi non posse. Posterius ita confirmare student: Si Deus nos dilexit antè mortem filii & factam reconciliationem, fuit injustus, quoniam peccatores qui poenam promeruerunt, puniri nõ diligere debent. Ad utrumque R. & quidem ad primum. (1) perdit. inter dilectionem generalem & specialem. vid. *analys.* §. 2. & illa concernit totum genus humanum, hæc solos fideles. Illa ordine præcescit mortem, meritumque Christi, quoniam ex singulari amore factum est, ut filium suum mitteret, ad redimendum genus humanum. Hæc autem mortem ejusque apprehensionem sequitur, Deus enim neminem speciali amore suo, quo in filios adoptamur & vitæ æternæ scribimur hæredes prosequitur, nisi pro quo Christus sacrificavit & qui hoc ipsum fide sibi appro-

halaret animã ipsi nondum satis exploratum fuisse, quid de im-
mortalitate animæ statuendum sit, ex ipsius Epist. ad Volck. ex-
arata constat, inquit *Pl. Rev. Dn. Pres. in Anti. Soc. Disp. 129. art.*
3. controu. 3. p. 115. vid. & Ostorod. in instit. Germ. C. 41. Georg.
Crazer. in Catech. germ. Crell. in Comm. in 1. Cor. 15. p. 60. 88. 103.
188. 109. 113. 122. 130. 269. Alii vitus abscondunt utpote Joach.
Stegmann. *in probl. p. 185.* qui quidem resurrectionem impiorũ
negat, eam dictis Scripturæ à Dn. D. Bottsacco adductis probari,
sed tamen addit: *Mich deucht ich wolte noch woll andere örter*
in Heil. Schrift finden/ auß welchem der beweiß besser fortgehen
solte. Et porrò: Es kan sie Gott woll wieder von den Todten er-
wecken lassen/ damit sie ihre straffe empfangen und also in Ewig-
keit vertilget werden.

§. 2. Orthodoxam huic sententiæ præced. adversam,
quod impij non penitus abolendi aut annihilandi sint, confir-
mamus duobus potissimum argm. (1) à probationis *Adversario-*
rum defectu, nulla enim prorsus fundamenta habent adversarij
quibus sententiam suam stabilire possint. quod enim dicitur.
1. Cor. 15. 24. evacuaturus Deus omnem principiatum & potesta-
tem & virtutem; id de terrenis potestatibus nonnulli accipi-
unt, sed ut de spiritualibus intelligatur, evacuatio solũ
potentiæ, virtutis, potestatis ac regni eorum designatur, non
verò abolitio essentiæ & quidditatis, quum Spiritus illi sint im-
mortales & incorruptibiles, æternis tenebris & vinculis man-
cipati. (2) à *Scriptura S. abundantia testimonio.* (a) quia crucia-
tus æterni nimis laculenter in Scriptura descripti sunt, ut per
ὀδυάς dolores exquisitissimos. Luc. 16. 24. 26. per βασάνης Luc.
16. 23. 24. Apoc. 14. 10. per πλῆγας. Apoc. 22. 18. (β) quia vermis
damnatorum non moritur. Esa. 66. 24. Luc. 9. 44. 45. 46. (γ) quia
impiorum pœna describitur ceu cõtemptus sempiternus. Dan.
12. 2. per æterna vincula & caliginem tenebrarum in æternum
servatam. Jud. 5. 6. 13. 2. Pet. 2. 17. per κέλασιν αἰώνιον Matth. 25.
46. (δ) quia impij mortem quærent sed non invenient, deside-
rabunt mori & fugiet mors ab ijs. Apoc. 9. 6. quemadmodum
id

id ipsum pluribus accuratè deducit *Pl. Rev. Dn. Pras. in Anti Socin. Disput. & quæst. ultima*, p. 1120. 1121. præcedentibus itaque argm. num Conclusio affirmativa an verò negativa addenda sit, iudicio Adversariorum, rectæ tamen mentis, committim⁹.

III. CALVINIANORUM.

*An vocabulum κόσμος h. l. significet omnes homines
an verò solos Electos?*

§. 1. Prius affirmant nostrates Orthodoxi Theologi, posteri⁹ us minus Orthodoxi, Calviniani, imprimis Beza in notis ad 1. Joh. 2. Piscator in not. ad Joh. 3. v. 16. 1. Joh. 2. Althingius in LL. CC. Heidelberg. Joh Maccovius Colleg. de prædest. disp 30. p. 36. Polan. in Syntagm. Theol. lib. 6. c. 18. p. 399 Anton. Wahläus in LL. CC. p. 288. Wendelin. in Ch. Theol. lib. 1. C. 17. p. 284. Rivetus in Cathol. Orthod. Tom. 2. Tract. 4. q. 8. Chamierus Panstr. Cathol. Tom. 3. l. 9. C. 7. Sibrand. Lubbert. de Ch. Servat. cont. Socin. l. 1. c. 2. Fervidè præ aliis Frider. Spanhem. in exercit. de grat. Univers. p. 732. hoc urget, qui etiam ex h. l. gratiam particularem demonstrare conatus est.

§. 2. Verum approbare hanc Calvinianorum explicationē firmis rationibus aliud svadentibus adducti non possum⁹. (1) rationem desumimus ex *Script testimonij defectu*. nam nullū proferre possunt in quo hæc vocab. mundi significatio accuratè vid. in anal. §. 4. (2) *ex textus evidentia* (α) de eo mundo agitur in h. textu qui erat sub peccato, potestate Satanæ & condemnatione æterna, adeoq; Redemptore ac redemptione indigebat; at mundus fidelium non amplius est sub peccato, sub potestate Sathanæ. E. (β) mundus is hîc intelligitur à Deo dilectus cui dedit filium suum Redemptorem: quem verò non electis solis aut fidelibus sed omnibus Adæ posteris. Gen. 3. 15. omnibus terræ populis. Gen. 22. 28. dedit. de quo *Joh. Crocius in Comm. ad Tit. 2. p. 357.* Deus dilexit totum mundum & ei destina-

vit filium suum, ubi, car dilectionem de solis Electis accipiam
causam idoneam non invenio toti mundo promiserat semen
mulieris Gen 3 15. totique mundo dedit; deinde Christus se de-
dit adeoque satisfacit non pro paucis sed pro mundo univer-
so s. toto humano genere s. omnibus hominibus. 1. Tim. 2. 6. Heb.
2. 9 1. Joh. 2. 2. idque sufficienter sufficientiâ actuali. (γ) De eo
mundo hic sermo est qui dispescitur in credentes & non cre-
dentes, eos qui judicantur & qui non judicantur, eos qui pere-
unt & qui non pereunt sed habent vitam æternam. At mundus
Electorum non potest dispesci in credentes & non credentes
&c. E. Quod argm. urget Bergius in explic. h. dicti germ. p. 8.
Hanc esse genuinam interpretationem inquit verborum Chri-
sti, manifestum fit tum ex his verbis, quibus communiter omni-
bus hominibus si modò in filium credant vita æterna promitti-
tur, tum ex sequentibus ubi mundus in duas partes dividitur,
quarum una in filium credit, idè dilectionem Dei, lucem, vita-
æ salutem amplectitur altera verò non credit. &c. quam senten-
tiam pluribus argm. deducere ac probare possem tum ex aliis,
tum ex prælect. publ. Pl. Rev. Dn. Præf. nisi res ipsa plana & per-
spicua satis esset. Interim tamen videatur pl. Rev. Dn. D. Mü-
ler. in absol. Decreto refut. germ. Cap. 2. de universali amore DEI p.
59. & seqq. Constat in super sententia (γ) Ex plurimorum dictorum
parallelia. Conf. 1. Joh. 2. 2. 1. Tim. 4. 10 2. v. 6. 2. Cor. 5. 14. (4) pro-
batur ex Patrum suffragio. Non solum enim Enthym. & Chryso-
stom. quos Maldonatus in loc. Joh. 1. 29. citat, sed etiam Theo-
phylact. & Augustin. nostre explanationi assentiuntur. Sic enim
missis aliis, Augustin. differit serm. 128. de Trin. Legimus in Scri-
pturis quod totius humani generis salus redempta sit sanguine
Salvatoris, agit namque etiam n. Joh. 3. non enim venit Chri-
stus in hunc mundum ut mundum judicet &c. Vide ergò, pe-
cuniâ illâ non tam comparata est agri parva portio, quam totius
us mundi possessio copiosa. Conf. tract. 12. in Job. C. 3. v. 17. (5)
Ex propria adversariorum nonnullorum Confessione. Sic enim
ipsorum antesignanus Calvinus in Job. 3. pag. 19. Et universalem
notam apposuit, tum ut promiscue omnes ad vitæ participati-
onem

onem invitet, tum ut præcedat excusationem incredulis. Eo-
dem etiam pertinet nomen mundi quod prius usus est, tamen si e-
nim in mundo nihil reperitur Dei favore dignum, se tamen
toti mundo propitium ostendit, quum sine exceptione omnes
ad fidem Christi vocat, quæ nihil aliud est quam ingressus in
vitam &c. quod a. alibi docet Christus se in iudicium venisse,
quod vocatur petra scandali, quod dicitur positus in multorum
ruinam, id accidentale est, vel (ut ita loquar) adventitium. qui
n. oblatam in eo gratiam respiciunt, digni sunt, qui iudicium
experiantur, ac tam indigni foedique contemptus ultorem &c.
Hæc Calvin. in *Cap. 3. Job.* qui idem in *Cap. 17. v. 21.* quidam mun-
dum ponunt electos, qui tunc adhuc erant dispersi: sed quia
toto hoc capite mundi nomen pro reprobis accipitur, diversa
sententia mihi magis probatur. accedit quod continuo post,
mundum cuius nunc meminit ab omnibus suis separat. Theo-
logi Palatini in *refut. scilicet aureæ aureole de morte Christi anno*
1592. germ. editæ p. 55 dicitur Christi, inquit, Joh. 3. quod atti-
net, nos libenter vulgatam expositionem de communi amore
Dei erga totum genus humanum sequentes vocem mundi uni-
versalem de omnibus hominibus in genere interpretamur, si-
cut a Calvin. ipso in *Harm. p. 35. Wolf. Muscul. in Job. p. 71. Zanch.*
in Miscellan. p. 282. & aliis pluribus eum in modum intelligitur.
Hæc Palatini, quibus adde Doctores & P. P. Belgicos Leidenes
& Franekeranos, Franc. Gom. ar. Joh. Polyand. Anton. Walau
ut & Lubb. Sybrand. qui de omnibus Adami posteris, adeoque
omnibus hominibus exponunt h. P. in *juvato Dordracen. exhib.*
art. 2. Vid. quoque Heidelbergenses in der gülden leiter p. 87. Rod.
Quali. sup. Job. 2. & Rom. 14. homil. 8; sup. Cor. 8. homil. 42. &c.

MEMBRUM TERTIUM.

Continens

Controversiarum enodationem.

In

CALVINIANORUM

C 3

CON.

CONTROVERSA PRIMA
An Deus omnes & singulos ita dilexerit ut eosdem velit salvos?

§ 1. Negativam Calviniani tenent. Impia enim & obstinatâ assertio sic differit Beza *par. 2. Resp. ad Colloq. p. 194.* Hos dico, nunquam tempus fuisse vel esse vel futurum, quo voluerit, velit aut voliturus sit Deus singulorum misereri. *Piscat. 1. loc. 20. §. 21.* Impia est eorum sententia, qui affirmant DEUM omnes & singulos velle salvos fieri, nec tamen omnes salvos facere; quid enim hoc est aliud, quam dicere, Deum quidem id velle sed quod vult efficere non posse? Cum quicumque aliquid vult, idem efficiat si non impediatur. *vid. & volum. 2. loc. 12. §. 22.* Illi qui Deum omnium misereri & singulos salvari velle sibi imaginantur, toto caelo errant & magnum peccatum admittunt. *Renccb. de predest. p. 114. vid. & Zanch in Miscell. p. 302. P. Martyr. in loc. fol. 859.* & hæc est Calvinianorum mens. hodierni etiam Novatores & Syneretistæ hactenus applaudunt, dum eam pro hæresiac damnabili errore minimè haberi volunt. Ideò enim contendit Drejerus in *Erörterung. p. 740.* In Symb. Apostolico nihil haberi de voluntate gratiosa Dei universali erga totum genus humanum, nihil de universali vocatione omnium hominum ad salutem, deindè subnectit, trepidis conscientijs intimationibus notitiam istorum quidem necessariam esse, si quis ambigat utrum de eo verbum Dei exstet, quod Deus ipsum salvum velit, sed id magis pertinere ad informationem in fide quam ad fidem ipsam; Welche Wissenschaft in Ansechtungen nöthig ist/die zweiffelndē und zaghaften gewissen auffzurichten/also gahr/das wenn jemand auff die Gedanken kompt/er habe kein Wort Gottes davon/das Gott ihm wolle Selig haben/Er sich nicht wieder auffrichten kan/ohn die allgemeine Verheissung/wie Ich das anderswo auch erwiesen vnd dargethan habe. aber das gehöret mehr ad informationem in fide, als ad fidē ipsam. Idque probat ac declarat. [1] è praxi Apostolorum; quod multos convertierint

veterint, qui nihil de universalibus promissionibus sciverint. Act. 2. 39. C. 10. 45. ubi credentes ignorarunt gratiam Dei etiam gentes attinere. Conf. Act. II. 2. 18 [2] quod & hoc Dei verbum sit, cum quis audit à concionatore, Deus vult te salvum, Christus pro te mortuus est. Si ergò minister verbi hoc asserat, effectum id suum habere poterit in cordibus auditorum, ut id credant. (3) Omnes qui Catecheses scripserunt, requirunt solùm à quovis ut credant. nihil a. docent de universali gratia Dei, universali merito Christi, universali vocatione hominum, nec quicquam de eo habet Lutherus sive majori sive minori catechismo. E. id nunquam creditum fuit ad salutem catechumeni creditu necessarium. (4) addit Irenei testimonium è lib. 1. C. 4. quod hanc quæstionem Doctoribus tribuat & à fide distinguat. Sed quorsum hæc ita disputentur, meritò dico cum Plur. Rev. Dn. Præs. ex Syncret. suo Calixt. Postul. 1. Sect. 3. §. 93. minimè obscurum est, ne scil. fratres Calixti in Christo Calviniani à communione regni Dei excludantur, ut ut universalem DEI gratiam Christique redemptionem non admittant, sed potius negent, impugnent atque reprobent.

§. 2. His a. opponimus cum Orthodoxis. 1. *Scripturæ Oracula* 2. *argumentorum momenta*, & 3. *Patrum testimonia*, ex quibus facile constabit quam apertè falsa eorum sit opinio.

§. 3. Inter Scripturæ Oracula alia priori loco adducimus hoc nostrum Johannæum, ex quo argm generale h. m. exstruimus: Quicumque totum mundum ita dilexit, ut eidem filium suum unigenitum dederit, is quoq; omnes omnino homines vult salvos fieri. atqui de Deo verum prius. E. & posterius. Min. constat ex textu nostro. Conseq. majoris præter evidentiam textus patet quoq; ex alijs Scripturæ locis. Sic n. Paulus inquit: DEUS vult omnes homines salvos fieri & ad agnitionem veritatis pervenire. 1. Tim. 2. 4. ubi contra Beza & alios urgemus. (1) regul. Theolog semper obtinet sensus literalis, quando non impingit in aliquem fidei articulum vel in textus manifestiores, neque aliqua parit absurda. deindè ita concludimus: quos DEUS vult salvos fieri eosdem, etiam vult ad agnitionem veritatis pervenire, & contra: Quos vult ad agnitionem
veri-

veritatis venire, eos etiam vult saluos; quia per parric. copu-
lativam hæc duo coherent. Sed prius verum de D. E. O. E. &
posterioribus Min. prob. quia impœnitentibus quoque adeoque
omnibus hominibus dicitur: Credite Evangelio. Huic consen-
tit Petrus 2. Epist. 3. v. 9. Non tardat Dominus promissionem,
sicut quidam existimant, omnes ad pœnitentiam reverti. ubi
(1) notandeparric. *Omnis & Ulis* (2) Apostolorum consen-
sus. Quos enim DEus vult ad pœnitentiam reverti, eos etiam
vult ad agnitionem veritatis pervenire & contra. Quia pœni-
tencia vera esse non potest absque agnitione veritatis. Adde,
quod ipse Christus clara voce exclamet, venite ad me omnes
qui laboratis & onerati estis, ego reficiam vos. Math. 11. 28. qui-
cunque igitur laborant & onerati sunt eos vult Christus ad se
venire. Atqui omnes laborant. E.

§. 4. Drejerum quod attinet, interrogamus, undenam ipsi
constet, illis, quorum mentio fit, Act. 10. 29. nihil de universa-
libus DEI promissionibus innotuisse? Annon potuit universa-
lis DEI gratia ipsis partim e codice V. T. partim e concionibus
Baptistæ aut Christi, quarum fama totum orbem compleverat,
cognita esse? Præcathizati certè fuerunt illi a Prophetis ob-
servante Ireneo, lib. 4. Cap. 40. qui passim universales promissio-
nes exhibent. Adde quod in Concione Petrina Act. 2. 14.
seqq. annunciata fuerit universalis DEI gratia. Primò ingressu
v. 16. adducit Petrus oraculum Joel. 2. 28. effundam spiritum
meum super omnem carnem, quæ utique est promissio univer-
salis sicut & illa eod. loco: quicumque invocaverit nomen Do-
mini salvus erit. Pergit Petrus v. 38. pœnitentiam agite & unus
quisque baptizetur in nomine I. C. in remissionem peccatorum.
Cui subjungit v. 39. vobis enim facta est promissio & filiis ve-
stris & omnibus qui longè sunt quos advocaturus est Deus. Quid
quælo luculentius esse poterat, quum universalitas gratiæ
vobis & discretissimè asseritur.

§. 5. Alter locus, Act. 10. 45. nequaquam exprimit assertum
Drejerianum, sed tantum quod mirati fuerint, donum Sp. S. ef-
fusum etiam esse in gentiles. Credentes verò qui cum Petro

vene-

venerant, ejusdēq; conciones audiverant, quomodo quælo illi non sciverunt de hac gratia à Petro prædicata publicè. Testatur id ipsum Act. 11. Cap. v. 18. quod Dreierus quoque allegat, dicitur ibid. His auditis obtulerunt & glorificaverunt Deum, dicentes: Igitur & gentibus Deus pœnitentiam concessit ad vitam.

§. 6. Ad (2) verbum Dei hoc esse cum minister verbi ait: Deus te vult salvum; & hoc nos affirmamus. Sed hoc minister affirmare non potest eamque applicationem huic, illi, isti facere, nisi è Sacra S. hoc constaret Deum velle omnes homines salvari; neque auditor posset Doctore credere, nisi de universali gratia è Scripturis certus esset.

§. 7. ad (3) falsissimum est, nullos catecheticos authores quicquam de Dei gratia universali tradere. Prætermisiss enim antiquis, ut Iren. Symb. lib. 3. c. 4. Cyrill. Hierosol. Cateches. illuminat. 13. Gregor. Nazian. Orat. 40. in S. Baptisma. Symb. Ephes. anath. 10. Compendia tironibus tritissima ut Heerbrandi, Haffenreffi, Hutteri, Dieterici, Deiero opponimus, quibus perspectis atque demonstratis nolens volens effatum suum temerariâ ipsaque falsitate magis falsum, ut pl. Rev. Dn. Præs. loquitur, reformare cogitur. De Lutheri Catechismis idem fit judicium; aut enim Dreierus fugitivo oculo eos saltem aspexit, aut temerariè præterivit verba minoris Catechismi, quod Deus nobis & omnibus Christianis peccata remittere velit Mai. Catechismo expresse, quod negat, sistit, artic. 2. & 3.

§. 8. ad (4) Irenæi mentem malitiose Dreierus pervertit; nõ enim Irenæus à fide discrevit quæstionem *εἰ ἐστὶ* vel *τὸ, ὅτι* An Deus &c. contrarium probat lib. 3. c. 4. sed *τὸ δι' οὗ* quare Deus concluderit primum sub peccato omnia, ut omnium misereretur, vid. pl. Rev. Dn. Præs. l. c.

§. 9. 11. Subjungimus *argument. momenta* suntque [1] *finis hominis conditi conditio*; Hoc enim fine Deus condidit homines ut omnes salvarentur, E. vult omnes salvari. anteced. probò: (a) quia in Adamo omnes conditi sumus ad imaginē Dei, salus autem & imago Dei individuo nexu coherent, qui ergò condi-

D

tus

tus est ut salvaretur, is non est cōditus ut laberetur & cōtra (B) quia omnes rei facti sunt damnationis per Adami transgressionem. Rom. 5. 12. E. omnes habuerū in Adamo salutem. [2] *Universalis redemptio & vocatio.* Deus misit filium toti mundo, ut daret se met ipsum pro omnibus: Gen. 3. v. 8. C. 12. 3. Math. 20. 5. 1. Tim. 2. 6. 1. Joh. 2. 2. (3) *Universalis Evangelii predicatio.* mādatum enim expressum habet, Math. 28. 19. Marc. 16. 15. Complementum refert Paulus, Rom. 10. 18. &c. quibus adde & alias rationes quas vid apud *B. Meisner. in Anthrop. S. Dec. 2. Disp. 12.*

§. 10. III. Sequuntur *Patrum testimonia.* Ambros. lib. 2. de vocat. gent. C. 8. sive novissima contemblemur secula s. prima sive media, rationaliter & piè creditur, omnes homines salvos fieri DEum velle semperque voluisse. Augustin. *ad artic. sibi falso impositos. artic. 16.* Non est voluntas Dei ut pereat unus. Quia verò à pietate deficiunt, non ex Dei opere sed ex sua voluntate deficiunt. vid. & *Primaf. sup. 1. Tim. 2. Bernhard. serm. 1. in purific. Mariæ.*

§. 11. Circa hoc negotium adversarii sunt versi pelles, quæ non dicā ad S. Sacræ dicta & argm. respondere, sed potius in perversum sensum detorquere solent, præcipuè obtrudendo nobis duplicem voluntatem Dei signi scil. & beneplaciti, quæ distinctio reperitur tum apud Scholasticos, tum apud nostrates tum deniq; apud Calvinianos, sed alio atque alio sensu, ut videre est apud *B. Meisner, in Anthrop. S. Dec. 2. disp. 12.* missis aliis saltem Calvinianorum sententiam assumimus, qui per voluntatem beneplaciti intelligunt absolutum quoddam omnesque causas antegressum decretum, quo fanciverit Deus ab æterno, quid de unoquoque homine fieri velit & secundū quod paucos ad salutem, reliquos omnes ad æternā dānationē creaverit & absolutè prædestinaverit, voluntatem verò signi eam vocant, quam Deus in Script. patefaciat & juxta quam omnium salute delectari sese exterius quidē declarer, intusa. in arcano consilio suo longè aliud decretum habeat. Eodem sensu & modo hanc voluntatem duplicem explicat *Wendelin. Exercit. 1. §. 10.* Bergius verò in lib. suo conciliatorio non nihil dissimulat, inquit enim, Deum
na

natura quidē bonū ac misericordem esse aduersus omnes homi-
nes: esse tamen etiam iustum & zelotem contra peccata ho-
miium, non igitur delectari per se ullius hominis damnatione
quin velit ut se quisque ad pœnitentiam convertat & vivat; ve-
rantamen hac cum limitatione quod etiam secundum iustitiã
suam eos qui non convertuntur iudicare velit & punire. atque
hoc in seqq. ita explicat, ut dicat Deum omnium hominum sa-
lutem velle naturali propensione & *Φιλανθρωπία*, non verò
libero voluntatis decreto, voluntate signi sed non benepla-
citi, voluntate antecedente sed non consequente, &c. q. 53.
quomodo verò voluntas signi & beneplaciti explicetur à Cal-
vinianis jam supra vidimus, idque ex opposito de reprobatione
satis innotescit. Explicaturus enim Bergius, quare Deus repro-
bos non ad talem gratiam elegerit, per quam ipso eventu & in-
fallibiliter salvi fiant, disertè scribit; Deum liberrimo benepla-
cito eam gratiam reprobis denegasse; Verba ejus sunt. **Was**
Ich frage/warumb sie Gott nicht zu solcher gnade erwehlet oder
verordnet habe / dadurch sie in der that gewiß/unfählbahrlich
glänbig wurden? auff diese frage wirt recht geantwortet/das
solches auß dem purlautern freyen willen und wolgefallen Got-
tes geschehe / dessen gerechte uhrsachen ihm allein am besten be-
stand seln/der auch solche gnade niemand nicht schuldig ist. q. 64. 115

§. 12. Hanc sententiam corroborare conantur non nullis ex-
emplis, ex Sacra S. petitis, ut quando Deus Abrahæ mandavit
ut occideret filium. Gen. 22. 12. Pharaoni ut dimitteret populū.
Exod. 5. 1. cum tamen occisionem filii & dimissionem populi
nollet, pharaonem enim volebat indurare Exod. 7. 3. Sic erga
mulierem Cananæam voluntate signi se iratum atque saevum
ostendit, cum tamen areana voluntate beneplaciti paternus di-
vinæ clementiæ affectus occultatus latuerit. Math. 15. 23.

§. 13. Ad singula R. & quidem 1. *in genere* & 2. *in specie*. In
genere equidem (1) quod Deus non sit hypocrita vel simulator,
non est mendax & mutabilis. Num. 13. 19. sed omnia opera ejus
sunt in veritate. Ps. 33. 4. (2) in DEum non cadere voluntates
contrarias, quæ tamen statuuntur à Calvinianis Hæc enim pu-

D 2

gnant

gnant invicem: Deus seriò vult omnes credere & salvos fieri. & DEUS non vult seriò omnes credere & salvos fieri. In specie, & quidem (1) de immolando Isaaco quod illud non fuerit serium, ut patet ex Gen. 22. 2. ubi dicitur quod Deus tentaverit Abrahamum, hunc in finem, ut ejus fides atque obedientia probaretur; Lex verò seriò, nò tentandi gratia data est. (2) de Pharaone de demittèdo populo Israelitico dicimus fuisse maxime seriū mādātū, quod probatur ex Exod. 10. 3. & 4. dimitte, inquit Deus, populum meum, ut sacrificet mihi, si a resistis &c. Iam verò, si voluntas Dei non erat ut dimitteret populum, utique etiam DEO non poterat resistere. Cum enim duo idem volunt & faciunt, tū certè alter alteri nequit resistere. ad (3) R. dist. inter simulationem illicitam & licitam. Illa est quæ fallit & nocet, hæc quæ prodest & docet. Talis autem in bonum virum cadere potest non enim contrariatur legi. vid. *Disp. inaug. pl. Rev. Dn. D. Kunad. de Elect. salvand. Anno 1653. habita. B. Meisner. Anthropol. s. Decad. 2. disp. 12. Frantz. de interpret. S. Sacra, Oraculo 24. Balduin. in Cap. 9. Epist. ad Rom.*

CONTROVERSIA SECUNDA An Christus pro omnibus satisfecerit?

Negativam tenent Calviniani. Sic enim Beza *colloq. mōp. p. 421.* Certè nobis intolerabilis vox visa est Christum esse mortuum pro damnatis. *in resp. par. 2. ad acta p. 221.* iterum dico & coram tota Dei Ecclesia profiteor, falsum, blasphemum, impiū esse dicere, Christum, sive quoad Dei consilium, sive quoad effectum, non minus pro damnandorum peccatis passum, Crucifixum, mortuum esse & satisfecisse quam pro peccatis Petri, Pauli & omnium Sanctorum *Piscator disp. de predest. §. 119.* pro reprobis nullo modo mortuus est Christus, sive sufficienter dicas sive efficaciter. *Keckerm. lib. 3. C. 4. Can. 1.* sacerdotale officium pertinet ad solos. & in declaratione h. Canonis: Officium Christi ad eos tantum pertinet, qui sunt ad æternam salutem ordinati, quorum enim est finis eorum etiam suut media. accedit quoque *Wendelin. Theol. Chr. lib. 1. Cap. 17. §. 5. p. 282.* sententia

NO

nostra est; Christum non pro omnibus & singulis hominibus sed pro solis electis, qui olim crediderunt, tum credebant vel deinceps per gratiam ejus credituri erant mortuum esse, ac divine justitiæ satisfecisse. Alii verò quia vident has Piscatoris, Beza & aliorum phrasas clavis sic conceptas literis nimis esse duras & incommodas imprudentiusque prolatas, fatentibus ipsis *Dordrecanis Patribus* p. 338. aliter rem aggrediuntur, Christumque pro omnibus satisfecisse dicunt sufficienter non verò efficaciter. Sic *Zanch. in Miscell. p. 352. Kimedont. lib. 3. de redempt. Cap. 11. p. 63. Pareus part. 2. Cateches. Ursin. p. 304. Bucan. in instit. loc. 36. q. 28. Polan. in Syntagm. lib. 6. C. 18. fol. 397. Perkins de prædest. p. 121. Chamier. tom. 3. panstr. Cathol. lib. 9. Si- brand. Lubbert. de Christo servat. lib. 1. C. 2. p. 23. Casselsche wech- selschriefft p. 382.* Sensu verò cum Beza planè conveniunt. Non enim sufficientiam nobiscum metiuntur ex parte Christi, qui quantum in ipso, pro omnibus satisfecit, non tantum valore meriti, sed ex intentione & voluntate Patris & sua; verum tantum ex potenciali sufficientia, ita ut satisfacere potuisset, licet nunquam satisfecerit, cum liberrimum Dei decretum aliud statuerit. Malo illud Calvinianorum quam meis verbis exponere. Sic enim Perkinus de prædest. p. 20. Hujus pretii soluti virtus & efficacia; tum quoad meritum, tum quoad operationem, infinita est & tamen distingui debet. Est enim vel potentialis vel actualis. Efficacia potentialis est, qua *λύτρον* in se sufficiat pro redimendis singulorum absque exceptione peccatis, etiamsi essent mille mundi hominum, verum si spectemus efficaciam illam actualem, *λύτρον* illud quoad consilium Dei & quoad mentem pro electis tantum & prædestinatis est solutum.

2. Sed fucum faciunt adversarii. Quæ enim hæc est satisfactio, quæ ipsis dicitur potentialis. Num quis diceret, Casarem omnes, quos Captivos tenet Turca redemisse, cum posset redimere pretio? ex sententia Calvinianorum possem dicere Christum & pro diabolis & pro quovis mundo Utopico satisfecisse, quod absurdum. Hinc plurimi etiam Calvin. hanc ipsam distinctionem improbant. Nam Beza ait in *Thes. Gener p. 123. &*

part. 2, resp. ad colloq. momp. p. 217. eam meram tergiversationē
ac ἀκυρολογίαν esse. Piscator in 1. Tim. 2. observ. ad v. 6. & vo-
lūm. 1. Loc. 9 §. 13. eam contradictionem implicare ac ineptā
esse dicit.

§. 3. Colludunt hodierni Novatores Calixtus, Drejerus,
Latermannus, ex quibus Drejerus in gratiam Calvinian. ex Au-
gustino asserere conatur, Christum pro quibusdam s̄ electis
saltem mortuum esse, sed nimis infeliciter & inconsideratē.
Non enim rectē pensitat verba Augustini, ita ut eadem secundū
mentem Augustini explicet, eorumque anteccedentia & conse-
quentia jungat, sed allegat saltem illa, utpotē à Calvinianis
adduci solent. Quemadmodum autem Calviniani Augustinū
hujus dogmatis authorem faciunt, cui etiam ita adhærent ut ab
eodem divelli minimē possint, ita quoque Calixtus cum asseclis
suis eorum partes agit, annuendo scil. quod hæc sententia simul
& illa, quæ Calvinianis est de prædestinatione, in Ecclesia pos-
sit tolerari citra condemnationem in Reformatis. *judic. de Con-
trov. cum Reform. §. 23. & 25. Drejer. in der Erörterung / p. 347.
vid. pl. Rev. Dn. Pres. in Syncret. Calixtin. disp. 4. postul. 2. Sect.
1. §. 1. 2. 3. & 4.*

§. 4. Ita sentiūt adversarii. Nos cōtra statuimus Christū fuisse
mortuum & satisfecisse pro peccatis omnium & singulorum
hominum, sed quia non omnes sibi fide applicant istam satisfa-
ctionem, ideo nec omnes fieri participes salutaris istius fructus,
quem Christus satisfactione sua hominibus promeruit. Proba-
tionis loco eodem fundamento utimur, quo in præced. usi fui-
mus 1. scil. *Script. Oraculis 2. argm. momentis. 3. Patrum testi-
monis 4. adversariorum suffragiis.*

§. 5. Scripturæ Oracula multa sunt nos duas tantū hîc con-
stituemus classes. Prima continet ea dicta, quæ Christū pro toto
mundo ac pro singulis hominibus satisfecisse ac mortem susti-
nuisse testantur. Oraculum nostrum Johann. in frontispicio
ponimus, ubi Christus inquit: Sic Deus dilexit mundum ut fi-
lium suum unigenitum daret. Ex his ita concludimus: Pro qui-
bus Christus datus est in mortem, pro ijs etiam satisfecit. atqui
pro

pro omnibus hominibus datus est inmortem, E. pro omnibus
etiam satisfecit. Mai. non indiger confirmatione. Min. proba-
vimus antè ex *textus perspicuitate*, quod vocab. Mundus signifi-
cet non tantum electos sed totum genus humanum. (2) proba-
mus ex *Calvinianæ explicationis vanitate*; ista enim expositio,
quâ vox mundi pro solis electis accipitur planè ἀνακόλυθον effi-
cit orationem Christi. Nam quis hic est sensus? Sic Deus dilexit
credentes ut filium suum Unigenitum daret non omnibus sed
credentibus, ut omnis qui è credentibus crederet in eum nō pere-
at sed habeat vitam æternam, qui verò ex illis credentibus nō
credit condemnetur. Ineptissima hæc est resolutio ac textui
vim infert. (3) ex *nostræ expositionis cum aliis script. locis de am-
plitudine meriti Christi loquentibus conformitate*, ut Joh. 1. 29. 1.
Joh. 2. 2. Rom. 5. 18. 19. Heb. 2. 9. 2. Cor. 5. 15 Esa. 53. 6.

§. 6. Secunda clasfis complectitur ea testimonia, quæ
Christum etiam pro illis qui propriâ culpa pereunt, mortuum
esse confirmant. ut 1. Cor. 8. 11. Rom. 14. 15. 2. Pet. 21. Heb. 6. 4.
5. & 6. Heb. 10. 26. 27. 28. & 29. vid. B. Bald. *comm. in Ep. ad Rom*
14. p. 845. B. Gerhard. *tom. 2. de Elect. §. 110.*

§. 7. Transitum facimus ad argm. meriti Christi univer-
salitatem corroborantia, suntq; (1) *Universalis ad pœnitentiam*
adhortatio, Act. 17. 30. Luc. 24. 7. Jer. 25. 5. Math. 3. 2. Act. 2. 38.
C. 3. 19. [2] *regni diabolici destructio*, ad quod regnum omnium
omnio hominum peccata pertinent, destructo illo, pessum eût
& hæc. 1. Joh. 3. 5. Heb. 2. 14 (3) *Incarnationis Christi conditio*, i-
deò enim carnem assumpsit Christus, ut quæreret quod perie-
rat, Math. 18. 11. Luc. 19. 10. Omnes autem periêre. E. (4) *Impio-
rum condemnatio*, Si enim impii ob incredulitatem condem-
nantur. Joh. 3. v. 18. 19. 36. manifestum quoque erit spectare ad
illos etiam Christi satisfactionem. plura vid. ap. B. Meisner
Anthrop. S. Dec. 2. disp. 13. dilucidè etiam hanc quæst. pertractat
pl. Rev. Dn. D. Muller. in absolut. decreto, germ. refut. Cap. 3. p. 82.
& seqq. ad quod lectorem remittimus.

§. 8. Super sunt *Patrum testimonia & adversariorum suffra-
gia*; Orig. *lib. 2. in Job.* descendens inquit, unigenitus Deus de
calis

cælis in novissimo tempore terreni corporis testa ex virgine se
Induens, *Totius* mundi saniem immunditiam ac putredinem ra-
sit atque mundavit, omnium peccata supportando, cuius livore
omnes etiam sanati sunt. *Ambros. serm. 8 in Ps. 118.* Sol justitiæ
omnibus ortus est, , *omnibus* venit, *omnibus* passus est, *omnibus* re-
surrexit. Hic Augustin. *Epist. 171. ad Donatist. Tract. 92. in*
Job. Basilii in sermon. de nat. hum. Cyrill. lib. 2. in Job. Chrysost.
1. Tim. 2. aliique quorum verba laudantur à B. Gerhard, *LL. TT.*
Tom. 2. de Elect. §. 114. ad stipulantur. Cui sententiæ denique ex
adversariis ipsis nonnulli favent, Pet. Martyr. in phil. 2. p. 1042.
dicit: Christus patiebatur pro multis malis, quibus mors illa
non erat profutura. Idem volunt Rud. Gualt. Bucan. Polan.
ac Muscul. vid. B Gerh. l. c. § 115.

II.

PHOTINIANORUM

I.

*An Christus filius DEI ab eterno à Patre ge-
nitus sit?*

§. 1. Ita rectè sentiunt Orthodoxi, heterodoxi verò Soci-
niani planè negant, ut potè satis constat ex eorum scriptis. vid.
Socin. in lib. suasor. it. cont. Bellarm. & Wieckum. Institut. Ostorod.
Volckel. de vera relig. Smalci refut. novor. monst. Crell. de uno Deo
Patre. &c.

§. 2. Affirmativam vero probamus variis argm. ex S. Sacra-
mentis. & quidem 1. ex nominis appellatione, dicitur enim (1) u-
nigenitus & proprius Dei filius. Joh. 1. 14. 1. Joh. 4 9. Rom. 8.
32. & in hoc nostro textu; ex quo ita argm. Quicumque est pro-
prius & unigenitus Dei filius ille ex substantia Dei Patris est ge-
nitus; quicumque ex substantia Patris est genitus ille ejusdem
essentiæ est cum Patre; qui ejusdem essentiæ est cum Patre,
ille quoque est æternus, atqui de Christo filio Dei ve-
rum est antecedens. E. & consequens. Hinc (2) dicitur
splendor Dei Patris & imago substantiæ ejus per quem omnia
con-

condita sunt. Heb. 1. 3. ex quo ita argm. Quicumque est splendor
Dei Patris & imago substantiæ, ille ab æterno à Deo Patre est
genitus atqui de Christo, filio Dei verum est prius E. & poste-
rius. 2. ex filii Dei deitate, quia unus saltem natura Deus est;
Pater verò citra controversiam verus natura Deus est. Hinc se-
quitur, quod filius Dei ejusdem naturæ & essentiæ cum Patre sit
& ex essentia Patris genitus; alias non unus esset Deus sed plu-
res Dei, quod blasphemum est. 3. Ex Script. Sacra assertione. 1.
quidem dictis æternam generationem demonstrantibus. 2. di-
ctis æternam existentiam filii Dei probantibus.

§. 3. Prius quod attinet, de eo sunt luculenta testimonia,
dicit n. Deus per Davidem de hoc filio quod ipsum genuerit ab
æterno: filius meus es tu ego hodiè genui te. Pl. 2. 7 hinc argm.
qualis est filius talis est generatio, at filius de quo Deus h. 1. per
Davidem loquitur est substantialis & æternus. E. & generatio
est substantialis & æterna. Min ita probatur: In quo omnis fi-
ducia nostra est collocanda is est essentialis & æternus Deus,
Deut. 6. v. 13. & C. 10. v. 20. Math. 4. 10. Deum tuum adorabis &
eum solum coles. Jerem 17. 5. Maldictus qui confidit in homi-
ne. atqui in filio Dei collocanda est omnis nostra fiducia. Pl. 2.
v. ult. E. est essentialis & æternus Deus & proindè ab æterno
essentiâ Patris genitus. Hic plerumque objicere solent partic.
Hodiè, non denotare æternitatem, verum Resp. quod illud ho-
diè, הַיּוֹם, θεογονεωσῶς explicandum veniat, cum in Deo nō
sit tempus sed mera æternitas. vid. pl. Rev. Dn. Prof. in Colleg.
Anti-Soc. p. 193. Idem hoc exprimit Sapiencia Proverb. 8. 22.
Dominus possidet me initio viarum suarum Hanc autem sa-
pientiam esse filium Dei patet à personalibus attributis filio
Dei propriis ut & è collatione Luc. 11. 4. de hac sapientia verò
hypostatica dicitur quod Dominus eam possederit, יהוה קנני
habet textus Heb. Dominus possedit vel acquisivit me קנה de-
notat possessionem quæ generatione acquiritur, ut videre est
Gen. 4. ubi Eva dicebat cum Cainum peperisset קנתי אִישׁ
יהוה possedi virum Dominum, putans hunc Mesiam fu-
isse. Chald. utitur voce כַּרְרָה quo sensu apud Job. dicitur:
Pereat dies in qua natus sū & nox in qua dictū est, Cōceptus est
E homo

homo masculus. Job. 3. 3. Hinc græcus rectè vertit per ἐκτῆσε ge-
nuit nō v. ἔκτισε cōdidit. Aquila reddit per ἔκτισατο Cōfirmat
hanc interpretationem v. 24. ubi sapientia dicitur genita s. na-
ta. Nondum erant abyssi & ego jam concepta, genita eram,
חוללת à r. חולל genuit, peperit eodem modo, Ps. 51. 7. us-
urpatur: in iniquitatibus concepans sum & in peccatis conce-
pit me mater mea. Huic adde locum Ps. 72. 17. antè solem per-
manet nomen ejus, Heb. habet לפני שמיני שמיני ex quibus
נני propriè significat filiatur, Er wirt gesöhnet. à r. נני filius
est. In hâc significatione occurrit etiam Job. 18. 19. Esa. 14. 22.
filiari autem nihil aliud est quam nasci, gigni ein Sohn wer-
den oder ein Sohn geböhren werden antè solem verò לפני שמיני
שמיני idem est, ac priusquam sol creatus est, antè creationem so-
lis. Hoc modo vox לפני שמיני usurpatur Gen. 13. 10. C. 27. 10. Hic igitur
sensus est; antè solem, priusquam sol creatus est radiosque
suos super terrarum orbem sparsit. Quod est descriptio æterni-
tatis, quemadmodum Moses dicit, Ps. 90. 2. Priusquam montes
fierent aut formaretur terra & orbis, à seculo & in seculum, tu
es Deus. vid. pl. Rev. Dn. D. Muller. in *Judaism. lib. 2. Cap. 4. de
tribus personis div. p. 1188. it. lib. 1. Cap. 18. de deitate Messie. p. 553.*
§. 4. Sequuntur 2. dicta æternam existentiam filii Dei pro-
bantia. Sic dicit Joh. 1. Cap. quod fuerit in principio. v. 1. quod
per ipsum factus sit mundus, v. 3. quod in ipso condita sint om-
nia in cælo & in terra, visibilia & invisibilia. v. 10. vid. Coloss.
1. 16. Ephes. 3. 9. Heb. 1. 2. & 10. Ex quibus ita argm. Quicumque
fuit antè creaturas omnes is ab æterno fuit. atqui filius Dei fu-
it antè creaturas universas. E. Mai. probatur, quia antè creatu-
ras nihil fuit nisi solus Deus æternus, increatus & mera æterni-
tas. Min. probatio constat ex dictis antè citatis, quibus adde fi-
lii Dei æternitatis descriptionem, quæ ad eundem modum pro-
ponitur in sacris quo æternitas Dei Patris describitur, nempe
quod ipse sit primus & novissimus, A. & Ω principium & finis.
Apoc. 1. 11. 17. Cap. 2. 8. Cap. 22. 13. Ex quibus major si syllogis-
mo rem includimus probatur ex Esa. 41. 4. Cap. 44. 6. C. 28.
2. quod & Socin. cont. Wujek. & Enjed. in explicat. loc. p. 437.
affir-

affirmant. Min. ex cit. loc. stat. E. Concl. vid. pl. Rev. Dn. Prof.
disp. de $\omega\gamma\omega\upsilon\omega\alpha\rho\zeta\epsilon\iota$ ante-Abrah. filii Dei Anno 1651. it. ante-
Mar. & ante-Mund. Anno 1654. habit. it. pl. Rev. Dn. D. Muller.
in anabaptismo germ. edito, error. 5. p. 56. & seqq.

§. 5. Restant $\Phi\lambda\upsilon\alpha\rho\iota\alpha\iota$ adversariorum, quas paucis dilue-
mus. ita argumētatur. Quicūq; est filius non est Deus ipse nemo
n est sui ipsiq; filius atq; Christo est filio Dei E nō est Deus ipse. R.
quod vocab. Deo sumatur dupliciter, vel essēcialiter, vel persona-
liter. Jā verò si in maj. essentialiter sumi volunt, negatur pla-
nè consequens, si personaliter, facilè concedimus, quippè quum
filius non est Pater, 2. Si Deus filium genuit ex sua essentia, tum
aut partem essentiaē dedit filio aut totam essentiam. Non hoc,
aliàs se ipsum cā privasset; nec illud: est enim Deus indivisibi-
lis. E. R. quod utique totam essentiam dederit filio, sed non a-
lienando sed communicando, communicatio verò non tollit
rei essentiam; declarari potest id ipsum [sano sensu] ex physica
generatione, ubi Parens communicat filio non partem sed to-
tam animam, cum tamen parenti propria anima maneat. vid.
Excell. Sperling. in Anthropol. phys. it. tract. de Traduc. 3. Nul-
lus, qui ab æterno existit, potest esse alicujus filius. Secunda per-
sona divinitatis existit ab æterno secund. Luther. sententiam.
E. Secūda persona divinitatis filius Dei esse nō potest. Maj. pro-
batur ita: Nemo potest esse filius alicujus, nisi genitus ex ali-
quo. At æternus nullo modo gigni potest, habet enim jam ab
æterno suum esse. E. non potest esse alicujus filius. R. 1. ad maj
prioris syllog. dist. inter generationem quæ fit in tempore &
eam quæ fit in æternitate; Si loquitur de temporali generatio-
ne concedi utique potest, sin de æterna maxime negatur. 2. ad
min. post. syllog. iterum dist. inter esse essentiaē & esse personæ.
Essentiale esse quidem persona filii habet ab æterno ut non sit
genitum; verum personale esse habet à genitura Pa-
tris: modus verò genituraē non tollit æternitatem sub-
stantiaē sive de essentia sive de persona dixeris, sub-
sistente in unitate essentiaē. Hinc rectè Tarnov. in Joh. dicit;
Cur filio, qui esse suum essentialē habet, quatenus est unus cū

Patre Deus, necesse sit accipere suum esse personale à Patre, per generationem, hinc patet; quia aliàs nec Pater esset Pater, nec filius esse: filius. Illius enim est gignere, hujus genitum esse; ille, quia est æternus Pater dedit ab æterno, hic, quia est Patri coæternus, accepit ab æterno per generationem. relata enim sunt naturâ suâ simul. 4. Cum Deus Pater gigneret filium aut fuit aut non fuit filius. Si fuit, gignere eum Pater non potuit; si non fuit, non est æternus, & per consequens non est Deus ille unus. R. Dist. vicissim inter generationem quæ fit ab æterno & eam quæ fit in tempora. De hac procedit, non de illa, quia non datur in illa prius & posterius. vid. Basil. cont. Eunom. lib. 2. qui id ipsum demonstrat de Sole ejusq; radio coævo. Et hæc sunt præcipua argm. adversariorum, quid verò contra Scripturæ loca ogganniant in discursu ipso si occasio & tempus dabit, videbimus.

II.

An DEUS dicendus crudelis & injustus ex eo, quod dederit Filium suum in mortem pro hominibus?

§. 1. Affirmativam Adversarij magno conatu urgent, hoc saltem sine ut satisfactionem Christi planè eò melius rejicere possint. Sic enim *Job. Crellius contr. Grotium respons. ad Cap. 6. partic. 42. p. 341.* scribit: Immane est eum, qui tibi sit conjunctissimus, idemque innocentissimus, acerbissimis cruciati- bus subicere, ut injuriæ tuæ ab aliis profectæ, licet aliàs gravis- simæ sint & poena dignissimæ, vindicentur, atque ita ira tua conquiescat, tuque tuum jus hac in parte consequaris. at hoc à Deo factum esse, ex satisfactionis dogmate consequitur. Decla- rat id ipsum ulterius similitudine quadam de Patre & filio. p. seq. si Pater inquit, charissimum suum filium sibi obsequentissimū diris modis excrucians traderet, ut injurias graves à quo pi- am alio sibi illatas vindicaret, iramque suam hac ratione extrin- gueret, meritò crudelissimus censeretur: sed si veller eum cruci- atus eosdem sustinere veritatis pietatisq; causa, idq; eum in finē,
ut

ut aeternæ tum aliorum hominum, tum suæ salutis prodesset, non
modò non immanis sed & pius meritò censeretur. Huic Patri
similis est Deus, ex Socini sententia: Illi priori, vi sententiæ
illorum, qui satisfactionem urgent. Sic Socinus dogma de
satisfactione pro merito absurdo reputat, desumens simile de
Rege ditissimo. absurdum hoc est in humanis, inquit, si Rex di-
tissimus & nullius egens ab innocente divite extorqueat, quæ
solvere tenerentur nocentes pauperes multi & eò magis absur-
dum hoc est, qui simile tentaverit & à filio sibi unigenito pœ-
nas eorum delictorum reposcerit, quæ jure prorsus condonare
poterat, quæque puniri necessè non erat. Taxat insuper tacitè
depravationem, ut nominat, dicti usitati: Sic Deus dilexit mū-
pum (remittendo peccata) ut (non peccatorum expiandorū
causa de qua re in h. dicto nihil, sed ut remissa esse annunciat
& alia faceret filius) filium suum unigenitum daret, ut omnis
qui credit in eum (non expiantem sed annunciantem) non pe-
reat, &c. Et de tali solâ donatione & summa Dei liberalitate
dicit, loqui omnes divinos Scriptores; quâ laude Deum spolia-
ent quotquot citra ac contra Dei verbum satisfactionem affin-
gant. Imò Deum quoq; sordium sævitiæque accusent & imma-
nitatis, qui sinè necessitate in finem istum tam dira & execra-
bili morte afficere voluerit filium innocentissimum. vid. *Socin.*
part. 3. de Servat. ubi prolixius hæc prosequitur.

§. 2. Sed R. hominibus illis curiosis, n. quod in hoc nego-
tio nobis standum sit verbo Dei revelato, non verò similitudi-
nibus, si enim illis agendum esset, Ethnicismus defendi posset
de uno summo Jove & reliquis multis inferioribus Dijs adducto
simili argumento, videlicet, sicut unus Monarcha multos ha-
bet consiliarios. 2. ad dict. Joh. 3. R. quod depravatio non possit
esse maj. quam quæ ab adversario introducit. Explicatio e-
nim hoc vult, quod Christus eâ de causa saltem mortuus sit, ut
remissionem annunciat peccatorum & exindè spem firmis si-
mam vitæ aeternæ conciperemus ac porrò viam quoq; remissio-
nis peccatorum ac salutis sempiternæ consequendæ ingredere-
mur. Sed quam fallum hoc sit probamus. (1) *ex Scriptura testi-*
monii

monij defectu, Mors enim Christi nusquam in scripturis docetur absolutam quandam peccatorum remissionem ex mera scilicet & absoluta Dei gratia profectam, ne dum spem ejusmodi remissionis peccatorum excitare. Hoc potius affirmatur in Scriptura, nullam spem fore remissionis peccatorum & liberationis à morte æterna, nedum salutis & vite æternæ, nisi Christus morte sua remissionem peccatorum & liberationem à morte æterna impetrasset & conciliasset humano generi sub peccato & condemnatione propter peccata concluso. Rom. 3. 19. c. 4. 25. C. 5. 8. seqq. 2 Cor. 5. 19. 21. Gal. 3. 10. 13. 22. Ephes. 1. 6. 7. c. 2. 5. Coloss. 1. 20. 1. Thess. 1. 10. 1. Tim. 1. 15. c. 2. 6. 1. Pet. 1. 18. 10. 1. Joh. 1. 7. c. 2. 2. c. 3. 16. C. 4. 10. (2) *Ex illationis adversarior. absurdo.* absurdum enim est statuere spem remissionis peccatorum habere antè reconciliationem Dei & remissionis peccatorum impetrationem peccata enim nostra non excluderunt solum à parte nostra spem remissionis, liberationis à morte, & salutis, sed & à parte Dei remissionem ipsam & salutis donationem impedierunt, vi justitiæ divinæ & sententiæ lege promulgatæ, quæ propter peccata & à vita excludebatur & æternæ morti adjudicabatur. Gen. 2. 17. Deut. 27. 26. Rō. 1. 32. Gal. 3. 10. Opus itaque erat, ut primitus quidem nobis remissio peccatorum & impunitas vel liberatio à morte, nec non vita æterna impetraretur & acquireretur apud Deum; postmodum demum fides & spes ex parte nostra locum habere potuit consequendi remissionem, liberationem à morte & salutem æternam. Hæc verò acquisitio fieri non potuit, nisi per mortem Christi, quia fides & spes hanc præsupponit. Esa. 53. 11. Luc. 24. 46. 47. Joh. 3. 15. 16. C. 6. 51. C. 12. 24. 32. C. 17. 19. Act. 4. 11. 12. C. 10. 39. 43. C. 13. 38. 39. Rom. 3. 24. 25. 1. Cor. 1. 30. & alijs in locis. vid. pl. Rev. Dn. Pras. in *Anti Socin. disp. 12. Controvers. 5. p. 340. seqq.* (3) *Ex ipsorum adversariorum Confessione* statuerat enim Crellius primò de *causa mort. Ch. p. 23.* quod peccata nostra causa mortis Christi fuerint ideò solum, quod impedierint spem firmam remissionis peccatorum in nobis, eum in finem itaq; Christum mortuum fuisse, ut remissionem absolutam peccatorum saltem annunciaret & spem confirmaret. postmodum verò l. c. p. 11. dicit, eam loquendi rationem non exprimere planè aut satis propriè effi-

caci-

faciam mortis Christi, quam ad remissionem peccatorum nobis parandam habet. Videt itaque Lector, quomodo Cadmei fratres inter se certent.

§. 3. R. quod Deus exindè nullo modo possit accusari sordium sævitiaq; immanitatis & crudelitatis, quod dederit filium suum innocentissimum pro nocentibus, ut vult Socinus ejusq; asseclæ. Dist. enim inter modum ordinarium & extraordinarium. Ordinariè Deus non punit filium pro patre, hominem communem pro alio homine communi. Ezech. 18. at ut pecus unum pro multis, plurimis Israelitis offeratur, Levit. 16. ut unus homo Deusq; pro cunctis hominibus offerretur, hoc est Dei voluntas æque, unum mysterium omnium mysteriorum. Sicut ergò nemini licet argumentari ab ordinarijs ad extraordinaria ita multò minus ab his ad illa procedere licet. Omninò crudelis dici non potest Deus, quod pro plurimis mundis nocentium redimendis, ad tempus tradiderit filium unigenitum innocentem, potius crudelitas posset dici, si, cum potuisset, tamen non voluisset Deus ad tempus tradere filium innocentem ad redimendos tot nocentes mundos, quos aliàs in æternum perire necessum fuisset, inquit D. Frantz in Schol. sacrific. Patriarch. Sac. disp. 17. §. 106 & disp. 18. §. 2.

III.

An eadem fide in V. T. salvati quàm nos hodiè in N. T.?

§. 1. Variè de hac quæst. adversarij disputant præcipuè negativam acriter defendere conantur Photiniani. Ita enim disserit Smalc. contr. Frantz. p. 93. Certum est omnes ab initio mundi homines justificados fuisse fide, quemadmodum etiam hodiè omnes eadem justificantur & justificabuntur & sic eodem pacto omnes justificantur: sed rursus, si alia quædam ad hanc fidem pertinentia & qualitates ejus respicias, planè diverso modo justificati fuerunt illi qui antè Christum vixerunt, ab eo, quo Christiani justificantur, nam primùm justificatio per fidem nunquã fuit hominibus proposita antè Christum, vel foederi inclusa, nec unquam promissum fuit hominem fide justificatum iri: sed

Sed nudè tantùm hominibus præcepta pro ratione temporis, diversa à D E O tradita fuère, quibus obedirent, nullà etiam promissione aperta primitus addita justificationis alicujus & paulò post. Fides V. Testamenti nihil commune habet, cum ea, quã nunc homines sub N. T. justificantur. Primam enim fides illa Deum solùm respiciebat: at nunc requiritur fides in Deum & Christum, sivè, quod idem re ipsa est, fides in Deum per Christum, de qua altum in V. T. silentium. porrò p. 96. inquit: lege durante, cum jam Christus esset promissus modus justificationis propositus fuit per opera cui postea successit modus justificationis per fidem. Hinc p. 187. scribit: justificatum esse aliquem in V. T. fide in mediatorem Christum anilis est fabula. vid. etiam *Volkel. l. 2. de vera relig. C. 8. p. 13.* *Socin. de justific. p. 15. & 107.* *Cateches. Racov. C. 11. p. 306.* *Ostrod. præfat. Instit. p. 8.*

§. 2. Dupliciter itaque ad hanc præpositionem adversariò negativè respondet. 1. argm. delumit, à *denegatione revelationis*, nunquam enim dicit in N. T. hominibus justificationem per fidem propositam. 2. à *justificationis modo diverso*; fides in V. T. respiciebat Deum solùm, in N. verò Deum & Christum. Hæc cum distincta sint, distinctè etiam respondemus.

§. 3. Ad [1] quidem planè negando, aut enim adversariò cursoriè saltem Scripturam S. legit, aut etiam planè cæcutit, quippè quum Ap. Paulus ex Mose dilucidè demonstrat, Rom. 10. 6. justitiam fidei prædicatam ab ipso fuisse, tum ubi fœdus divinum populo proposuit. Deut. 30. 12. quis ergò hinc dubitaret in fœdere Dei comprehensam fuisse fidei justitiam; quis affirmaret in V. T. non fuisse propositam? adde, quod ibidem Ap. ex Esa. 28. 16. id ipsum doceat & Pet. 1. Ep. C. 2. v. 6. repetat. His accedit quod ipsa lex moralis promissionibus & Typis Evangelicis stipata pædagogus fuerit ad Christum. Gal. 3. 24. eo-que sine omnia concluderit sub peccatum ut promissio per fidem obtineretur. v. 22. verum autem hunc promissionum scopum absque dubio Prophetæ populo Dei exposuerunt, finemque legis qui est Christus Rom. 10. 4. enarrarunt. porrò ita argm. Si
scripta

scripta V. T. sapientes nos reddere debent ad salutem per fidem in Chri-
stum sequitur quod in Scriptis V. T. tradita ac proposita fuerit justifica-
tio per fidem, atqui verum est prius E. & posterio. Min. constat ex 2. Tim.
3. 15. Scripta a. hęc, quia dicuntur V. Testamenti, utique non intelli-
genda saltem sunt ac si demum post Legem valorem habeant sed & an-
te legem in foedere cū Abrahamo sancito cōprehensa jam erat justifica-
tio per fidem factā seminis promissione, in quo benedicendæ erant o-
mnes gentes terræ. Rom. 4. 16.

§. 4. Ad posterius R. eodem modo simpliciter negando, contrariū
enim liquet ex Pl. 2. 12. Esa. 53. 11. Jer. 23. 6, addatur his testimonium A-
postoli. Rom. 3. 21. 2. Tim. 3. 15. præter hęc & alia nobis hac vice sufficiat
ex tribus locis actuum Apostolorum triplicem hunc funiculum necte-
re: Quicunque alias salutis vias excludunt, unicam viam omnibus cō-
muniem faciunt & per distributionem illos de quibus quæstio, inclu-
dunt: illi eosdem cum reliquis unā viā salvari statuunt. Atque Apосто-
li prius faciunt. Act. 4. 12. C. 10. 43. C. 15. 11. E. Major patet, min proba-
tur ex prædictis locis *I. contrariū exclusivā* habetur act. 4. 12. Et non est
in alio quoquam salus, nullum n. nomen est aliud sub cælo datum in
hominibus, in quo oporteat salvari nos. Ubi (α) observanda cohæsiō
per partic. *καὶ* cum dicto ex Pl. 118. 22. citat o qui ad Halleluja magnum
pertinet, in quo Confessionem suæ fidei judæi quorannis solenniter e-
dere solebant. Judæi aliās dicunt Psalmum hunc pertinere *לְיוֹם
הַשְׁמֵרָה* hoc est ad dies Messia. vid. *Henr. Moller. prælect. in Ps. 118.* (β) di-
serta negatio, *ἐκ ἑστίν ἐν ἄλλῳ ἢ σωτηρία*, ubi omnis alius clarè excludi-
ditur. [γ] negationis iteratio, *ἐν ἑδένι*, quæ negatio exclusionem forti-
orē reddit (δ) tertia ejusdem repetitio *ἐδέν* quæ simpliciter utique
excludit, ubi simul addita invenitur, (ε) exclusionis ratio *γὰρ*, quia
ἕτερον aliud in quo salus sit ne nominari quidem possit, quod ut plane
universale faciat Apost. conjungit universalitatem loci, sub cælo, i. e.
in universo mundo, ut Luc. 17. 24. Act. 2. 5. Col. 1. 23. temporis tam præ-
teriti, non est datū *δεδομένον*, quàm præsentis in quo oporteat salvati
σωθῆναι: subjecti salvandi *ἐν ἀθρώποισι* quicunque in hominum censu
& numero unquam fuerunt, sunt, erunt. (ζ) Conclusio dicti & totius
orationis Apostolicæ necessitatem huic salutis vitæ attribuens *δεῖ* quod
oporteat hoc & nullo alio modo nos salvos fieri, quemadmodum B.

F

Lyse.

Lyserus id dilucidè proponit in *Trifol. ver. relig. V.T. Disp. 1. de relig. Ad-*
damit. p. 11.

§. 5. II. Universalis affirmativa habetur Act. 10. 43. huic omnes
Prophetæ testantur, remissionem peccatorum accipere per nomen e-
jus omnem credentem in eum, ubi not. relativum $\tau\acute{\alpha}\tau\omega$ respicere ad
Christum. (2) Prophetas tanquam testes produci. [3] : estimonium esse
de re præsentis, $\lambda\alpha\beta\epsilon\acute{\iota}\nu$ ait, accipere non accepturos. (4) fundamentum
per quod, scil. nomen Christi, fiat remissio. (5) medium, quod fides non
quævis sed in Christum sit & deniq; nota hunc esse universalem modum.
ex voce *Omnis*

§. 6. III. Specialis distributiva. Act. 15. 10. 11. Nunc ergò quid tentatis
Deum, imponere jugum super cervicem discipulorum quod neq; Patres
nostri neq; nos potuimus portare, sed per gratiam Domini nostri J. C.
credimus salvari quemadmodum & illi. Ubi notanda (1) Apostolica
oppositio. hoc enim vult, quod, uti neq; Patres, ita neq; nos jugum le-
gis portare possimus. Hinc (2) ab Apostolo additur positio, quod vi
hujus oppositionis dicendū sit & Patres nostros & nos pariter gratia
J. C. unicè salvari; quod verò hîc denotentur Patres, indicat vox $\epsilon\kappa\epsilon\acute{\iota}$
 $\nu\epsilon\iota$, quæ ad nomen proximè anteceden s nō ad remotius referri debet,
& cum propiori, non a. cum remotiori genere correspondet. vid. *pl.*
Rev. Dn. Pres. in Anti-Soc. loc. de justific. p. 741.

III.

PONTIFICIORUM

An solâ fide justificemur ?

§. 1. Varij circa hanc quæstionem sunt adversarij, non enim ejusdè
semper fuerunt & adhuc sunt sententiæ, aliter enim de formali justifi-
cationis causa statuit Lombardus, aliter Gropperus, Hosius, aliter Pi-
ghius, Pistorius, aliter denique Becanus, Costerus & Bellarminus. O-
mnes tamen ad unum illud tendunt solâ fide hominem non justificari,
ut passim videre est ex ipsorum scriptis, ut paulò post patebit.

§. 2. Eorum partes & Calixtus cum a seclis suis agit, sic enim pro
dictatoria autoritate iterum iterumque suam inculcat sententiam.
Controversiæ inquit, de remissione peccatorum, justificatione & eter-
na vita obtinenda, quæ inter partes maximâ contentione disceptantur
& inter cæteras præcipuè æstimantur, sinè magna difficultate compo-
ni possunt si removeantur triciæ Scholasticæ & proponatur doctrina
vera

verbis quorumvis captui accommodatis. *Epic. de Colloq. Thor* §. 40 33. 34.
R. cont. Mogunt. §. 94. quo etiã tendit Laterman. *Judic. Cassandri de Of-
fic. pij Viri denuò publicato.*

§. 3. Verum, quod dissensus non consistat in trivis Scholasticis sed
in ipso fidei fundamento & errores foveant verè perniciosos adversa-
rij, patet ex ipsorum doctrina, quam hoc includemus syllogismo:
Quicumq; dissentiunt (1) Circa Deum gratiam, quæ causa prima est & su-
prema justificationis nostræ, α. (2) circa causam meritoriam salutis. β.
(3) justificationem veram & Apostolicam tollunt & ejus loco pseudo-
apostolicam & falsam substituunt. γ. (4) justitiam Christi imputatam
vident & explodunt. δ. (5) justitiam non ex sola fide sed ex operibus
quærunt. ε. (6) fidem planè pervertunt ejusq; naturam subruunt, ζ. Illi
non immunes sunt ab errore fundamentalis. atq. Pontificij hoc faci-
unt. E. Min. probatur α gratiam justificantem negant esse favorem Dei
gratuitum, peccata remittentem & anathema dicunt id asserentibus
*Concil. Trid. Sess. 6. C. 11. Bellarm. l. de gratia & lib. arbit. C. 3. β. Papistæ Chri-
sti merito assuunt merita sanctorum, satisfactiones proprias & opera
meritoria. γ justificationem dicunt consistere in expulsionem peccato-
rum & infusione justitiæ. &c. Conc. Trid. Sess. 6. C. 7. Bellarm. l. 2. de justif. c.
2. planè, nos non justificari propter meritum Christi contendit δ Justiti-
am imputatam vocant incrustatam & larvatam. vid. *Cornel. à Lapid.
in Eph. 4. Andrad. in defension. Concil. Trid. p. 477. Bellarm. disp. l. 2. de justif.
c. 2. ε. quod charitate vel operibus justificemur. Concil. Trid. Sess. 6. c. 12. ζ
fidem solum assensum esse, eũq; modo generalè, quo credatur quod
credit Ecclesia, non inferre notitiam, Bellarm. l. 1. de justif. C. 7. neque fi-
duciam misericordiæ divinæ. Conc. Trid. Sess. 6. C. 12. vid. pl. *Rev. Dn. Pres.
in Syncret. Calixt. postul. 2. disp. 6. quid ergò de Pontificiis, Calixto & affe-
ctis suis statuendum sit Lector cordatus facilè judicare poterit.***

§. 4. Nos verò cum Orthodoxis citra anathema, quo toties adversa-
rij rerum ignaros terrent, statuimus & confirmamus hominem solâ fi-
de justificari, idq; immotis seqq. argm. I. desumimus, *ex Scriptura S.
authoritate*. Oraculum nostrum Johann. præmittimus, in quo solius
fidei mentio fit ita quidem ut per eam justificemur seu vitæ æternæ par-
ticipes reddamur, omnis enim qui habet vitam æternam justificatus
est. Nec est quod ogganniat *Bellarm. l. 1. de iustif. C. 22. Dicens, fidẽ qui-
dem salvare, sed si non desint cætera; quippè quum in hoc nostro textu
cætera non addantur, imò, nequidem illorum mentio fiat, non enim*

dicit Christus: ut omnis qui credit in eum & cætera addit, non pereat; sed absolutè dicit, qui credit in eum; cætera saltem pertinent ad ornatum non verò ad statum.

§. 5. Johannem nostrum sequitur Paulus cum epistolis suis qui (1) planè opera à justitie rejicit, Rom 3.20. & seqq. ad 31. C. 4. 2. Gal. 2. 16. Ephes. 2. 8. Tit. 3. 5. Phil. 3. 9. (2) hominem gratis vel ex gratia justificari expressè docet Rom. 3. 24. C. 4. 16. c. 5. 15. 17. 21. C. 11. 5. 6 Gal. 2. 2. Gal. 5. 4. Eph. 1. 5. 6. 7. C. 2. 8. Tit. 3. 7. adde Act. Ap. C. 15. 10. in quibus locis gratia semper operibus opponitur. (3) fidem solam nominat eique justificationem ascribit. Rom. 3. 4. 5. Gal. 2. adde Luc. 7. in quibus locis accuratè nostram justificationem secundum causas suas vult describere. videmus itaque h. l. causam efficientem primam, videl. Dei favorem & gratiam; habemus causam efficientem secundam & meritoriam, Christi scil. satisfactionem; habemus causam instrumentalem, fidem nempe Dei gratiã & meritum Christi apprehendentem; habemus formam & quidditatem, nimirum remissionem peccatorum factam ob imputatum & fide apprehensum meritum Christi; habemus denique finem, videlicet declarationem justitiæ divinæ. Ubi verò opera? Ubi habitus infusi? ubi virtutes inhærentes? (4) Nostram justificationem consistere in remissione peccatorum & imputatione fidei docet, Rom. 3. 25. C. 4. 56. & seq. 2. Cor. 15. 19. addantur loca, Act. 13. 38. 39. Luc. 18. 13. 14. (5) accedunt loca quibus Christum nostram esse justitiam expressè docetur. Jer. 23. 6. 1. Cor. 5. 30. 2. Cor. 5. vers. ult. Rom. 5. 19. C. 10. 3. 4. Act. 15. 10. C. 19. 38. E. planè rejicitur justitia inhærens.

§. 6. 2. *Ex operam imperfectione.* Omnes enim nostræ justitiæ sunt sicut panni mulieris menstruatae. Es. 64. non in justitiis nostris &c. Dan. 9. adde Ps. 130. 143. sic Luc. 17. cum feceritis omnia, dicite servi inutiles sumus. Jam verò imperfectum non justificat, quia justitiam nostram in judicio Dei consistentem oportet esse perfectam. Opera verò sunt imperfecta. Conclusionem addant adversarii. vid. B. Meisner. Anthrop. S. Dec. 3. disp. 27. ubi plur. argm. colligit nostrum assertum confirmantia.

§. 7. 3. *Ex versionum conformitate,* non enim in nostro primum cerebro nata est hæc interpretatio sed longè antè nostra & patrum nostrorum & Lutheri tempora à Syro fuit usitata, quando in ipsum textum inferere non dubitavit אמן בל quod est solùm, tantùm credendo, ei verò, qui non operatur, sed tantùm אמן בל credit in eum, qui justificat peccatores, imputatur fides sua ad justitiam. Rom. 4.

§. 8. 4. *Ex Patrum consensu.* D. Ambrosius cōment. 3. in Epist. ad Rom. Solà

Solâ fide justificati sunt. & in C. 4. solâ fide justificantur apud Deum. Augustin. lib. 1. contra duas Epist. Pelagii. C. 21. Antiquos non salvos fecit nisi fides Chryss. Homil. 3. ad Tit. Sola fides sufficit justificare. idem Homil. de fide & lege nat. Latro tantum credidit & salvatus est.

§. 9. 5. Ex adversariorum confessione, multi enim hanc positionem Hominem solâ fide justificari, approbarunt, Sic n. Job. Hoffmeist. in Harmon. Aug. Confess. p. 46. edit. Coloniens. Ao. 87. scribit: antè exortum hûc in Ecclesia Dei tumultum nemo fuit offensus particulâ illa sola, quam jam teneræ quorundam aures vix ferre queunt: nemo siquidem unquâ in jus vocavit D. Ambrosium, quod affirmavit, hominem solâ fide justificari Erasmus alicubi scribit; Vox sola tot clamoribus lapidata hoc seculo in Luthero, reverenter auditur & legitur in Patribus.

§. 10. Licet autem tot clamoribus lapidata in Luthero, non dum tamen extirpata. Scripsit enim Lutherus ipse præclaram apologiam hujus suæ translationis, Tom. 5. len. germ. fol. 140. seqq. cujus summâ hoc modo sistit B. Balduin. in comm. sup. Epist. Rom. C. 3. q. 8 p. 251. primum ait se germanice non latine scripsisse vel græce fuisse locutum germanici verò idiomatis ea est proprietas, ut cum de duobus sermo est, quorum unum affirmatur, alterum negatur partic. allein addatur affirmationi, ut ex altera parte negatio sit eò fortior. deindè ait hunc ipsum & non alium sensum requirere verba Pauli: opponit enim fidem operibus, tanquâ duo immediatè opposita: cum ergò Paulus ipse à justificatione opera removeat, necessariò fides sola relinquitur, ut idè sit fide justificari sinè operibus, ac, solâ fide justificari. Præterea hanc esse mentem Apostoli h. in I. alibi similibus phrasibus declaratur ut Gal. 2. 16. Marc. 13. 32. Apoc. 21. 27. Porro scribit Lutherus rem ipsam manifestam esse ex scriptis aliis. Nam morti & resurrectioni Christi in scriptura acceptum fertur meritum justitiæ nostræ Rom. 4. Hoc verò meritum nullo opere, sed solâ fide apprehenditur; ergò rectè dicitur nos solâ fide justificari, tandem ad auctoritatem Patrum provocat, Ambrosii imprimis & Augustini & c. videatur etiâ D. Lutheri Epist. de interpret. A. 1530. scripta, in qua etiâ nerve se explicat causas hujus part. insertionis.

IV.

ARMINIANORUM.

An veteribus in V. T. etiam vita æterna promissa fuerit?

§. 1. De promissione vitæ æternæ à Deo sub. V. T. facta suspendere

quàm dicere maluerunt Arminiani sententiam, ne tamen causę Socini
desint, promissionem inquirunt, Apol. fol. 138. vitę eternę à Deo sub. V.
F. factam aut lege Mosis comprehensam fuisse non solus, nec primus
Socinus sed eadem multis retrò antè seculis negavit Antiquitas, Episco-
pius equidem valdè desudat in recensione suę sententię. *lib. 3. instit.*
Secl. 4. C. 1. p. 155. ubi de promissis foederis Mosaici agit; sed licet vim
veritatis agnoscere coactus fuerit, quam libenter effugeret, sed quomo-
do possit nõ invenit, tandem tamen in partem negativam declinat, dũ
hęc subjungit verba: Ex his facilè colligere est, quid statuendum sit de
quęstione illa famosa, an vitę eternę promissio, etiam in foedere ipso
Veteri expressa videatur, fatendum est nullam vitę eternę promissio-
nem disertam in illis reperiri. Si quis contra sentiat, ejus est, locum dare
ubi illa exstat quod puto impossibile esse. &c. Consentiant his, Socin. &
Ostorod. in Institution. C. 5. p. 36. *Smalc. de divin. Ch. Cap. 7. & cont.*
Frantz. disp. 4. &c

§. 2. Verum quum provocent nos adversarii, proindè & nostri est, nõ
tantum locum unum dare, ut volunt, sed plurima, imò ex super abun-
danti, firmissimas rationes, ut videre possint non impossibile illud esse,
ipsis ob oculos ponere.

§. 3. Probamus itaque nostram sententiam affirmativam [1] *ex primo-
rum Parentum post lapsum in gratiam receptione.* Non enim primi Paren-
tes in gratiam recipi potuerunt post lapsum, nisi apertè ipsis annuncia-
tum fuisset Evangelia hoc de gaudii vitę eternę adeptione,
modo deinceps fide promissum semen mulieris apprehenderent. Ratio
hęc est, quod post lapsum aut mortem eternam cum vitę eternę priva-
tione subire primi parentes, juxta decretum minatorium; aut refocil-
lari contra metum mortis eternę novã promissione vitę eternę; aut
simpliciter relinqui inter metũ & spem indeterminatam debuerunt
Primũ est contra experientiam, tertium contra scripturã, quod postea
sacrificantes placere Deo, Abel & alii id quod non nisi ex nova rece-
ptione, informatione, & promissione dependere potuit. E. manet se-
cundum Quid? quod ipse Deus etiam antè lapsum hoc ipsum eis reve-
laverit. Sic enim Gen. 2. 17. inquit: quacunque die comederis ex ea
[scil. arbore] moriẽdo morieris moriẽdo verò mori nihil aliud est quã
eternã morte perire, fatente etiam Smalcio cont. Frantz. fol. 401. 402.
dum igitur Deus minatur privationem s. ablationem alieujus boni, eo
ipso etiam testatur, quod istud bonum, cujus privationem comminatur
iisdem revelaverit quemadmodum id fufius prosequitur *Frantz. Sch. sa-
crif.*

crif. Patr. S. diff. 19. p. 641. (2) Ex Scriptura V. T. diserta vita aeterna facta mentione. Sic enim Moses inquit qui fecerit haec vivet in eis &c. Levit. 18. 5. quod de aeterna vita intelligendū esse & chaldaica paraphrasis & res ipsa testatur; adde locū Dan. 12. 1. (3) Ex S. Sacrae N. T. attestantis declaratione. interpretē enim & testem ejus rei omni exceptione majorem habemus Ch. Jesum. Luc. 10. ubi legisperitus quaestionem movet de adipiscenda vita aeterna, quo pacto id fieri possit Christus verò ipsum ad legem remittit, quā relatā denique concludit, fac hoc & vives. v. 28. Hūc sequitur Paulus Gal. 3. 12. & Rom. 7. 10. His adde mandatum expressum Christi, scrutamini scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam aeternam habere & illae sunt quae testificantur de me: nec vultis venire ad me ut vitam habeatis. Joh. 5. 39. 40. quid verò sit ὁμοίως δοκεῖται constat ex aliis locis N. T. scil. quod certē statuere sit, affirmare quid, sic Marc. 6. 49. dicitur: Putaverunt phantasma esse, id quod Math. 14. 26. ita declaratur: viso eo super mare ambulante, discipuli turbati sunt, dicētes: spectrum est & praemetu clamaverunt. Certē igitur statuerūt se videre spectrū. In Syriaco est thema ܘܪܘܘܩܘܘܐ quod exstat etiam Math. 20. 10. Act. 7. 25. & ibid græc. νομιζω redditur, ut & Math 24. 50. ubi per προσδοκέω. it. Math. 12. 21. 22. & Joh. 5. 45. ubi redditur per ἐλπίζω, judaei sperabant in Mose, sicut etiā nomen ܘܪܘܘܩܘܘܐ per ἐλπίδα redditur. Act. 27. 20. Rom. 4. 18. Hinc patet judeos certō statuisse, conclusisse, affirmasse quod in scriptis V. T. contineatur spes & promissio vitae aeternae. vid. Frantz. Sch. Sacrif. diff. 19. p. 645.

MEMBRUM TERTIUM.

sistens

Usus practici delineationem. I. Informatorii.

Profluunt equidem ex hoc nostro Oraculo infinitae doctrinae, sed nos breves circa usum erimus & paucis lineolis eum describentes I. Sistimus. Immensam Patris charitatem Hec enim est [1] divinissima, ut patet partim ex textu, ubi mentio summi Dei sit, partim ex aliis scripturae dictis, ut Rom. 8. 31. 32. Gal. 4. 4. 5. [2] Amplissima, quae non tantum concernit Abrah. Isaac. & Jacob. aliosq; sanctos sed & totum mundum & omnes omnino homines. 1. Job. 2. 1. 2 (3) sincerissima, ut constat (α) ex DEI immutabilitate 1. Sam. 15. 29. Sap. 11. 23. 24. (β) ex Dei justitia, sap. 12. 15. 16. & deniq; [γ] ex addito juramento. Ezech. 33. 11. [4] Benefica ut videre est ex beneficio redemptionis. Sic enim dilexit mundum ut filium unigenitum daret in passionem; Esa. 53. In mortem. Gal. 3. in crucem. phil 2. 11. pretii singularis solutionem. Magnos magna decet; magnus itaq; ille dator dedit mundo filium, munus planè inusitatum. äpfel und birn pflegt mann zuverschenden und nicht Kinder/ inquit D. Saccus & tamen caelestis Pater dedit. non mundi thesauros, non regnum vel imperium sed quo nihil carius habere potuerit, filium suum & quidem unigenitum. III Peccatorum gravitatem, luculentius enim peccati speculum non exstat quam filii DEI traditio in mortem; equidem quam horribile malum sit peccatum inde satis liquet, quod peccatum primos Parentes ex paradiso ejecit. Gen. 3. quod mortem in mundo introduxit.

xii. Rom. 5. quod hominem maledicto obnoxium reddit. Deut. 27. quod inter DEum
& hominem dividit. Esa. 59. quod ad desperationem adegit Cainum; Saulum, Achito-
phelem; Iudam &c. Sed magis hoc elucet extraditione filii, quem Pater in mortem tra-
didit. Agnosce inquit Bernhard. serm. 3. de nat. Dn. homo, quam gravia sunt vulnera
pro quibus necesse est Christum Dominum vulnerari. Si non essent ad mortem & mor-
tem sempiternam, nunquam pro eorum remedio filius Dei moreretur.

II. Adhortatorij.

Incitatur hic 1. ad Dei dilectionem, Deus enim nos dilexit amore summo, amore
stipendo, amore perpetuo &c. nostrum igitur erit vicissim Deum amplecti amore. ab-
jiciam9 igitur corda saxea & animū adamāte duriorē ac toti in amorē Dei ruamus. 2.
ad inimicorum dilectionem, Deus dilexit mundum nondum existentem, imō dilexit
& resistentes, igitur & nos inimicos nostros diligere debemus monente Christo. Luc. 6.
27. non tantum vulgari modo, ut dicamus, nos ipsos odio non habere, sed ut eos juvem9,
ut vel emendentur vel sanentur, quemadmodum Christus pro salute inimicorum suorum
mortuus est. 3. ad pietatis & fortitudinis Christianæ exercitium. Christus pro salute
nostra traditus est in mortem multo magis nos salutis nostræ conservandæ gratia carni
aliquid detrahamus. quod si igitur machinatur nos pellicere ad vitia caro nostra, respō-
deamus cū sponsa Christi: la vides meos, quomodo inquinabo eos: Cant. 5. 34. ad quo-
tidianā gratiarū actionē. Magna Deus in nos contulit beneficia, magnas ergō eidem etiā
debemus gratias. Elevemus itaq; nostrā vocē cū Davide. Ps 103. 1. & cum Paulo: Benedi-
ctus sit Deus & Pater Dn. Nostri I. C. qui benedixit nos omni benedictione spiritali
in cœlestibus propter Christum. Eph. 1. 3.

III. Consolatorij.

I. Contra peccatorum atrocitatem, si enim nos conscientia propria terret ob ante
acta peccata gravissima, non despondeamus animum sed erigamus potius hoc nostro
oraculo: sic Deus dilexit mundū &c quis igitur accusabit adversus electos DEI? &c. Rō.
8. 33. 34. 2. Contra nostrā indignitatem. plerūq; n. hæc & similes cogitationes maximo
dolore animum afficiunt: Indignus sum omni gratia & commiseratione DEI, nec inve-
nio quicquam quo coram extremo iudicio gloriari possim; En succurrit, imō occurrit
Christus misero, teq; dignum reddit sua morte, hunc igitur suscipe anima, eumque coram
tribunali supremo siste sic cum Paulo contentus gloriari poteris: Quin etiam arbitror
omnia damnum esse propter excellentiam cognitionis Christi, propter quem &c.
Phil. 3. 8. 9. 3. Contra mortis asperitatem & diaboli crudelitatem mor-
te enim sua Christus prostravit mortē peccati stipendiū. Rom. 6. 23. Rom. 5. v. 33. 34.
Heb. 2. 14. dissolvit opera diaboli. Job. 3. 8. habet claves inferni & mortis. Apoc. 1. 18
contemnamus igitur vim satanae & mortis rabiem ac sonorā voce in medio mortis agone
erumpamus cum Apostolo: Absorpta est mors in victoriam. Ubi tuus mors aculeus? ubi
tua inferne victoria? Deo sit gratia qui dedit nobis victoriā per nostrū Dom. J. Christum
1. Cor. 15. 54. 55. Tantūm.

SOLI DEO GLORIA!

um
ito-
tra-
nera
ora
no
ulq
oye
ab-
s. 2.
exit
c. 6.
m9.
orū
lute
arni
spō.
uo
eia
edia
uali


ante
stro
c. Rō.
cimo
nve-
urrit
ram
tror
Sc.
nor-
34.
1.18
gone
ubi
stuns

05 A 2461

ULB Halle 3
004 545 516





ΕΞΗΓΗΣΙΣ
ORACULI JOHANNÆI
ex Cap. III. v. 16.

SIC DEUS DILEXIT MUNDUM.

Quam
Adversus Hæreticos tam Veteres quam
recentiores

*auxiliante Divini Numinis
gratia*

SUB PRÆSIDIO
*VIRI Maxime Reverendi, Ampliss. atq; Ex-
cellentiss.*

DN. ABRAHAM CALOVII, SS.

Theol. D. ejusdemq; in Illustri Academia Witteb.

P. P. Ecclesiæ Witteb. Pastoris, Consistorij Eccle-
siastici Adessoris, Circulique Electora-
lis Superintendentis Generalis

Dn. Præceptoris, Patroni ac Promotoris sui summâ
observantiâ colendi,
publico examini exponit.

M. JOHANNES CRON HAMB.

A. & R.

In Auditorio Majori d. Septemb. Anno 1655.

WITTEBERGÆ TYPIS JOHANNIS HAKEN A. 1655.